





157

1788 17

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
MATRIMONIO ILLUSTRIS
CUM NOBILI AVITA.

QUAM
ILLUSTRIS ET CONSULTISSIMI ORDINIS IURECON-
SULTORUM CONSENSU,

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO

DOMINO

CHR. NIC. SCHLICHTKRULL

I. U. DOCTORE ET PROF. PUBL. ORD. IN REG. ACAD. GRYPHICA,
FACULTATIS IURIDICAE P. T. DECANO,
PRAECEPTORE AC FAUTORE AD CINERES USQUE COLENDO

PRO

SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS CAPESSENDIS

D. XXVIII. APRILIS A. MDCCLXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EMANUEL FRIDERICUS HAGEMEISTER

GRYPHISWALDENSIS.

GRYPHIAE

LITTERIS ANT. FERDIN. RÖSE, REG. ACAD. TYPOGR.



Prof. Hofrath Dr. Johann Christian Schlichtkrull

DE DOMINO

MATRIMONIO ILLUSTRIS
GUM NOBILITATIS
PRINCIPIS

ARHESSIAE
LITTE ET FORTISSIMO ORDINE IUSTITIAE
SUBIACENTIAE IUSTITIAE IUSTITIAE


UTROQUE EXCELLENTISSIMO ET CONSTITUTISSIMO
D. O. W. I. N. O.

CHR. NIC. SCHLICHTERULL
H. U. DOCTOR ET PROF. PUBL. ORD. ET REG. COUNCILOR
PACIFICITATE IUSTITIAE ET IUSTITIAE

EMERITORE AC FACITORE AD CIVILES USQ. A COLLEGIIS
SUMMIS IN UTROQUE HONORIBUS CASSANIS

D. XXVII APRILIS A. MDCCXXVII
TULLIUS BARNHART

EMANUEL FRIDERICUS HAGEMISLER
GRATISSIMA



DEPTHEAE
DOMINO SUO GRATISSIMO

Handwritten signature and date: Emanuel Friederich Hagemisler 1727



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO
PRINCIPI
AB HESSENSTEIN

SACRAE REGIAE MAJESTATIS ET REGNI SUECICI
SENATORI EMINENTISSIMO, POMERANIAE SUE-
CICAE ET RUGIAE PRO-PRINCIPI, SU-
PREMO EXERCITUS SUECICI
PRAEFECTO,
CANCELLARIO REGIAE ACADEMIAE GRYPHIS-
WALDENSIS REVERENDISSIMO,
EQUITI AURATO ET OMNIUM ORDINUM REGIORUM
COMMENDATORI, SACRI IMPERII ROMANO-
GERMANICI PRINCIPI,
ETC. ETC.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO

PRINCIPI

AB HESSENSTEIN

SACRAE REGIAE MAJESTATIS ET REGNI SUCCESSIONIS

SENATORI EMINENTISSIMO, COMITUM SUE-

CIAE ET REGIAE PRO-PRINCIPI, SU-

PERNO EXERCITUS SUCCESSIONIS

TRAFECTO,

CANCELLARIO REGIAE ACADEMIAE GYMNASII

WALDENSI REVERENDISSIMO,

EQUITI QUARTO ET OMNIUM ORDINUM REGNIUM

COMMENDATORE SACRI IMPERII ROMANO-

GERMANICI PRINCIPIS

ETC. ETC.

DOMINO SUO GRATISSIMO



THESES
IN GRATIAM OPPONENTIUM.

I.
Quaevis obligatio iuris naturalis perfecta etiam in foro civili valida est, nisi speciali lege positiva restricta aut reprobata sit.

II.

Haereditas institutio fratrum nunquam necessaria est.

III.

Creditor pignoratitius ordinario tantum praestat culpam ut aiunt levem in abstracto.

IV.

Natum ex sponsa L. L. minime agnoscunt legitimum.

V.

Singulae Leges in singulis π titulis secundum ordinem sui commodum dispositae sunt.

VI.

Linea extincta omnes reliquae lineae *aequaliter* ad successionem feudalem vocantur, *nulla ad gradus proximitatem habita ratione.*

VII.

THESES.

VII.

Liberi prae-mortui minime liberant conjugem ab obligatione sec. ius Lubecense contracta solvendi aes alienum alterius conjugis.

VIII.

Testamentum non militis privatum irritum non fit, nisi revocationi nudae acceperit lapsus decennii.

CONSPECTUS.

Secl. I. Praecognoscenda.

- Quaestio ipsa pertractanda proponitur — — §. I.
Disparagii vera notio evolvitur — — §. II.
Personae illustris atque nobilitatis avitae notiones con-
sistuntur — — — §. III. IV.
Notitia literaria (remissive) — — — §. V.

Secl. II. Ipsius quaestionis propositae expositio.

Cap. I. An neganda, an affirmanda ea sit disquiritur.

- Separantur principes a comitibus — — §. I.
Matrimonium principis vere illustris cum nobili avita
ordinario est disparagium — — §. II.
Diversi generis argumenta invicem separantur §. III.


I. Argumenta prioris generis.

- a) German. origin. gentes a matrimonio cum non
liberis abhorrent maxime — — §. IV. V.
b) Ordo ingenuorum in sensu eminenti talium me-
dio aevo terminabatur per dynastas — — §. VI.
Eodemque tempore matrimonium ingenui in f.
emin. talis cum non nobili disparagium erat §. VII. VIII.
c) Omnino praesumendum et hodie matrimonium
principis cum nobili esse disparagium — — §. IX
d) Rationes, quarum causa principes eo tempore
matrimonia inaequalia praesertim fugiebant,
hodie omnino fere adfuit. — — §. X.
e) Principes non consenserunt in abrogationem an-
tiquae illius consuetudinis, quod probatur


I. Ex

CONSPECTUS.

I. Ex ipsis principum dispositionibus	—	§. XI.
II. Ex contradictionibus eorum quorum interfuit	—	§. XII.
f) Alia quaedam argumenta pro viridi observantia consuetudinis illius.	— — —	§. XIII. XIV.
II. Argumenta secundi generis.	— —	§. XV.
Matrimonium comitis imp. cum nobili avita dispa- rium esse negatur.	— — —	§. XVI. XVII.
Cap. II. Dubiorum maxime notabilium resolutio.		
Ipsorum dubiorum expositio et partitio	—	§. I.
Resolutio dubiorum prioris generis	—	§. II.
De observantiae in contrarium probatione	—	§. III. IV.
Dubii ex Cap. Caesar. desumpti refutatio.	—	§. V.



Omnium habere memoriam, et penitus in nullo errare, divinitatis magis, quam mortalitatis est. L. 2. S. 14. C. de veteri iure enucleando.



SECTIO PRIOR.

PRAECOGNOSCENDA.

§. I.

Quaestio ipsa pertractanda proponitur.

Matrimonia illustrium multifario quidem respectu Ictorum disquisitioni subiici possunt et solent, hoc tamen loco matrimonia haec eatenus tantum considerari, quatenus virtute illorum uxor liberique iurium atque dignitatis maritalis et paternae participes fiant, neminem non ex ipsa huius libelli inscriptione si non perspecturum certe coniecturum esse, me habeo persuasum. Versantur nimirum pagellae sequentes circa eam potissimum tam iuris publici Germanici quam privati quaestionem sat praeclaram atque controversam: *Matrimonium illustris cum persona nobilitatis avitae an disparagium vere tale sit, nec ne?*

Quaestionem hanc dico tam iuris publici, quam privati, nec, si quid video, inmerito, saepius enim evenit, ut eadem quaestio, prout scil. modo hoc, modo illo respectu consideratur, in pluribus Iuris prudentiae partibus tractari debeat, certe tractanda jobveniat, sic quaestio hic ventilanda, quatenus matrimonium concernit, ad ius *privatum*, quatenus vero simul concernit successionem statuum imperii Romano-Germanici, ad ius *publicum* Germanicum spectat, idemque non minus in aliis iuris capitibus evenire potest et solet ¹⁾. Nec minus quaestionem

¹⁾ I. St. Pütter *Literatur des teutsch. Staatsr. Th. 3. Vorrede p. 6.* Quidquod ipsa haec quaestio etiam in iure feudali, quatenus habitas succedendi in feuda inde dependet, tractetur.

sionem hanc dico *praeclaram* atque *controversam*, utroque enim hoc cognomine omnino digna esse videtur quaestio, quae non solum maximas in familiis procerum Germaniae turbas plus una vice iam progeniuit, quinimo nostris diebus violentae occupationi territorii cuiusdam imperii immediati ansam dedit, et futuro aevo, nisi ipsa legislatoria potestate, quod tamen fieri ad pia referendum esse videtur desideria, curatissime definiatur, tristissimas excitare potest calamitates, sed etiam inter eruditos summi nominis saepissime omni, quo fieri potuit vigore ex utraque parte ventilata est ²⁾).

§. II.

Matrimonii vere inaequalis s. disparagii notio evoluitur.

Ad genuinam horum vocabulorum notionem eruendam eorum mihi non sequenda esse videtur methodus, qui in determinando, quid sit matrimonium vere inaequale s. disparagium, ad ipsas personas, quas inter matrimonium contrahatur, respiciendum ita esse putant, ut vi ipsius definitionis restringatur ad certum aliquod hominum genus, notionem nimirum sic concipientes: *Matrimonium vere inaequale s. disparagium est matrimonium ingenuum inter personamque servilis conditionis initum* ³⁾. De eo enim ipso, an unice inter eiusmodi personas disparagium contrahatur, cum adhuc sub iudice lis sit, minus commode et recte id in ipsa iam definitione anticipari videtur, quod potius reservandum ulteriori expositioni, quae anticipatio si non alia, ea certe secum fert incommoda, ut animus tyronum primaque vice controversiam hanc intuentium quam maxime perturbetur. Illi enim, et horum numerus sane haud exiguus, qui disparagium etiam obtinere posse inter alterius conditionis personas, quam unice ingenuos inter et servilis conditionis personas, contendunt, non possunt non aliam sibi de disparagio formare ideam, quorum tunc effata de matrimonio principis cum nobili, tanquam disparagio, illis, qui prioribus de notione disparagii principis innutriti sunt,

²⁾ In cuius rei testimonium vide sis I. Mosers teutsch. Staatsr. 19ter Th. ubi p. 243. §. 90 sequi pro more suo maxime notabiles opiniones refert.

³⁾ de Seibom element. iur. Germ. priv. §. 309. in theob. 1811: G. L. Boehmer princ. iur. feud. etc. §. 122.

sunt, plane absque et maxime male coherencia appareant necesse est, sibi nimirum persuadentibus, secundum ipsam disparagii notionem, illud tantum locum habere posse inter personas servilis conditionis atque ingenuos. Cuique itaque, quaestionem illam, num inter alias, quam ingenuos et servilis conditionis personas disparagium obtinere possit, ulteriori disquisitioni adhucdum subiicere voienti, magis sine dubio arridebit ea huius notionis constituendae via, qua nulla certi generis personarum ratione habita character huius matrimonii distinctivus inde desumitur, quod eiusmodi matrimonium desinitum sit plenario effectu in producendis iuribus alioquin ex matrimonio in republica profluentibus. Quibus ita dispositis, matrimonium vere inaequale s. disparagium illud esse statuo matrimonium, quod ob eximiam inaequalitatem conditionis contrahentium effectu civili plenario ipso iure caret.

Cuius notionis magis illustrandae gratia addere quaedam liceat:

a) Matrimonium vere inaequale est matrimonium *ratum* in sensu iuris canonico pontificalis, certe sua natura nihil involvit, quod, quominus tale esse possit, impediatur, cum in eo omnia adesse possunt, quae secundum canones atque decreta pontificum ad matrimonium constituendum necessaria sunt *).

b) Essentiam disparagii ingreditur, quod in eo effectus civilis matrimonii plenarius *ipso iure*, i. e., *vi dispositionis legis* (in sensu generalissimo) et citra hominis factum interveniens cesset, datur enim matrimonium, quod in effectu fere convenit cum disparagio, nec tamen ita vocari solitum, quale scilicet est matrimonium morganicum s. ad legem Salicam initum, quod in eo differt a disparagio, quocum alioquin plerumque coincidere solet, quod in morganicis effectus civilis plenarius non semper cesset *ipso iure*, sed saepe tantum vi pacti inter contrahentes inito, id quod nimirum toties obtinet, quoties eiusmodi matrimonium ex speciali imperantis concessione initur a personis l. civicae conditionis l. nobilitatis mediatae. Omisisse hoc immerito itaque videtur Ill. Schottius l. c. §. 170., alioquin a nobis parum abhorrens.

A 2

Ut

*) G. L. Boehmer princ. iur. canon. etc. 1785. §. 357.

A. L. Schott Einleitung in das Eherecht. Nürnberg. 1786. §. 169.

c) Ut in ipsa definitione inaequalis conditionis civilis contrahentium ut causae efficientis huius defectus, mentio fiat, omnino necessarium esse videtur, quia plura esse possunt et sunt matrimonia *rata*; sed non *perfecte legitima*, i. e., non plenarium effectum matrimonii civilem producentia, cuius rei exempla referuntur ab aliis ⁵⁾.

d) Vocabulum illud satis quidem barbarum, disparagio vero maxime affine, nimirum *disparagare* in monumentis antiquis etiam usitatum esse videtur de matrimonio *ingenui cum libera sed inferioris conditionis*. Refert enim *du Fresne* ⁶⁾ ex pluribus praelegibus, barones vassallorum filias, ipsorum tutelae demendas *paribus* ideoque *nobilibus* in matrimonium dare obligatos fuisse, et omni modo impedire, quominus *disparagentur*, quod itaque factum esse videtur, quoties filia nobilis non nobili licet libero nupserit. Qua in opinione, quod *disparagare* scil. commode quoque intelligi possit et debeat de conjunctione nobilis cum ignobili licet libero, magis me confirmat usus vocabuli Gallici *parage*, prisco aevo ipsam *nobilitatem* designantis ⁷⁾. Ipsi itaque loquendi usui convenientius videtur, notionem disparagii non restringere unice ad matrimonia ingenuorum cum servilis conditionis personis, praesertim cum et ipsum vocabulum *dispar* id indiget, ad quamlibet eximiam conditionis inaequalitatem hic respiciendum esse.

§. III.

⁵⁾ *Berliner Monatschrift*, May 1784. n. 2. v. c. matrimonia vagabundorum. s. r. x. de coniung. servis.

⁶⁾ Glossar. med. atque infim. lat. r. *disparagium*.

⁷⁾ Also hat man mit der Zeit das Wort *parage*, vor die *Noblesse* selbst genommen, weil die *Paragiati* eben sowohl *Nobiles*, und von eben der *Ankunft*, als der *älteste* gewesen, und also sich ihnen gleich stellten. Dahero heisset es in denen *Constitutionibus* Siailiae L. III. t. 23, daß die *Barones* gehalten seyn solten, diejenigen *Ritterliche* und *Bürgerliche* Töchter, welche ihrer *Sorge* und *Vormundschaft* anvertrauet seyn, zu verheyrathen, pro modo facultatum et *secundum paragium* das ist nach der *Condition* und *Beschaffenheit* der *Familien*, und ihres *Vermögens*, so daß wenn ein *Baron* solches nicht beobachtet, man gesagt, er *deparagire* seine *Pflegerochter*, welches die *Lateiner* *disparagare* nennen. Sunt verba *dissert. III. du Fresne ad Iovin. hist. Ludov. in Pistovii* (F. W.) *amoenitat. hist. iurid.* T. 1. p. 72.

§. III.

Personae illustris ut et nobilitatis avitae notiones constituuntur.

Ad removendas omnes omnino, quantum fieri potest, verborum ambiguitates, dictionumque amphibolias, operae pretium erit in genuinas horum vocabulorum notiones curatius inquirere: quod si quis fecerit, facile intelliget, epitheton illud *illustris* haud raro maxime diversae conditionis hominibus tribui. Modo enim honorificam aliquam, qua virum meritis ornatum appellamus, denominationem indicat, modo in genere omnes hac salutantur denominatione, qui quolibet modo nobilitati superiori annumerandi videntur. Nos vero omisso plane priori significato, unice rem habemus cum posteriori loco posito.

Sunt quidem omnino, qui notionem *nobilitatis superioris* etiam per Imperium Romano-Germanicum ita extendendam esse putant, ut ipsi adscribere haud dubitent omnes titulo aut principis aut comitis Imperii Imperatoria gratia condecoratos⁹⁾. Arridebat forsitan haec opinio primo obtutu uni vel alteri ea praesertim ex ratione, quia eodem fere modo, eandemque ad normam etiam in aliis Europae regnis, quae alioquin quoad multa cum institutis patriis conveniunt, nobilitatem in superiorem et inferiorem deprehendimus divisam. Tam enim in Hispania, Portugalia, Francia atque Magna Britannia, quam in pluribus regnis septentrionalibus nobilitatem superiorem constituunt nobiles titulo quodam honoris et praecedentiae, v. c. principis aut comitis ornati⁹⁾, unde et fit, ut in Hispania omnes hi comprehendantur generali nomine *Titulados*¹⁰⁾. Quid quod idem id sine dubio aniam dedisse videatur contentioni principes Imperii Romano-Germanici inter personasque nobilitatis superioris aliorum regnum praesertim Pares Franciae, Proceresque Hispaniae circa praecedentiam haud raro obortae. Curatius tamen rem perpendenti facile patebit, minus commode fieri hanc extensionem, illa enim personae maxime diversae conditionis, i. e. maxime diverso iure uten-

A 3 tes,

⁹⁾ E. C. Westphal Teutsch. und Reichst. Privatrecht. Th. 1. Abth. 42. §. 4.

⁹⁾ Einleitung in die allgemeine und besondere Europäische Staatskunde, von M. E. Tozeu 3te Auflage. Th. 1. p. 136. 212. 286. 326.

¹⁰⁾ Toze l. c. p. 136.

tes, ad unam conferuntur classem, commiscuntur nimirum hoc modo illi, qui iuribus status Imperii Romano-Germanici, superioritatisque territorialis fruuntur, cum illis, qui eiusmodi iure plane destituti potius imperio civili priorum, subordinato licet, subiecti sunt. Quam itaque ut evitemus confusionem, indeque profluentes errores, satius ducimus, ideam nobilitatis superioris Imperii Romano-Germanici, eâtenus certe, quâtenus haec nobilitas non comparatur cum nobilitate superiori aliorum Europae regnorum, habito respectu ad dignitatem status imperii R. G. concipere, personaque ideo illustris in sensu iuris tam publici quam privati nobis est is, *qui vel iure reali voti sessionisque in comitiis Imp. R. G. gaudet, vel ex matrimonio haud inaequali ab ascendentibus eius generis procreatus est, vel denique ordini dynastiarum mediæ aevi annumerari meretur.*

Excluduntur itaque virtute huius notionis a nobilitate superiori in sensu iuris, omnes nobiles tam mediati quam immediati, summis licet honoris titulis condecorati, quatenus nulla earum, quarum modo mentio facta, qualitatum in illis reperitur, et omni iure, ni fallor, excludendi sunt. *Primo* enim cuius iuris historiarumque patriae parum tantum gnaro patet, hodiernas familias illustres (in sensu modo determinato et vero) ex antiquorum dynastiarum progenie originem fere omnes ducere, ceteram vero nobilitatis partem tantam mediatam quam immediatam summis licet honoris titulis ornatam, et a nobis ad inferiorem nobilitatem in sensu certe iuris ablegatam longe alium habere ortum, ita ut familia nobilitatis inferioris dynasticos habens natales rarissima habenda sit avis ¹²).

Nonne itaque iure meritoque complexus harum familiarem ob illam originis nataliumque diversitatem ab aliis familiis eiusmodi origine haud gaudentibus separantur? Nobilitatis superioris dignitate vero ad omnes nobiles aut immediatos aut titulis honoris ornatos extentâ, hoc minime fieret. Illas *dein* familias, quae praeter magna multaque iura singularia ratione status publici maxime diverso quoque utuntur iure privato, ad separatum aliquem ordinem in republica ablegare,

¹²) Instar omnium hic nominasse sufficet *Estor comment. de ministerialibus* Cap. V, §. 276 sequ. *Seruben* de origine et progressu ord. equ. §. 1, 2.

ablegare, et hoc ab ordine omnes arcere, qui nec iisdem intuitu status publici iuribus, nec eodum cum eo utuntur iure privato, omnino videtur convenientissimum. Iam vero luce meridiana clarius, et praesertim ex iure principum, uti aiunt, privato elucescens est, quam diverso a reliquis civium ordinibus, hodie certe, recepto nimirum iure peregrino, civicisque commerciis magis divulgatis, ordo vere illustrium utatur iure privato, ita ut non nisi per accidens, s. virtute specialium dispositionum, eadem iuris principia quoad unum alterumve caput in aliis familiis adhiberi soleant. Quod quidem in familiis nobilium immediatorum multo magis obtinere, quam in familiis nobilium alioquin summis honoris titulis coruscantium, sed mediatorum, hinc in exercenda notabili aliqua autonomia a superiore alio, ac Imperatore et Imperio, restrictorum, uti ante omnia docent iura nobilitatis Austriacae privata, lubenter concedo. Quare etiam nobiles immediati *ratione iuris privati* haud raro in eadem constituuntur classe cum vere illustribus ¹²⁾, a quibus tamen alias tum ob diversum in iure publico statum quam respectu originis omnino distinguendi esse censentur ¹³⁾.

Ut magis vero illustretur notio modo constituta vere illustris, sequentia addere opus erit:

a) Iuris publici Germanici notitia haud desitutis notum est, illos inter, qui voti et sessionis in comitijs I. G. sunt compotes, existere quosdam, et quidem praesertim in comitum collegiis, qui ob defectum territorii, cui jus illud inhaerere possit, nomine *Personalistarum* salutentur ¹⁴⁾. Hi vero, cum non ab omnibus omnino im-

perii

¹²⁾ I. S. Pütter primae Lineae iuris privati principum speciat. Germ. 1779; §. 2. p. 3.

¹³⁾ *Esdm.* Institut. ius publ. ed. III. §. 460.

¹⁴⁾ Quorum quidem recipiendorum causae positae esse videntur, modo in nimio collegii ardore captandae Imperatoris gratiae, huius enim primarii ministri plerumque hoc honore ornari solent, modo in eo, quod eiusmodi noviter recepti onerum ferendorum maximam partem lubentes in se recipiant.

Plures ejusmodi *personalistarum* videlicet apud Moser (I. I.) von den teutschen Reichständen etc. 4. 1767, ubi p. 816 sequi omnia comitum collegia recenset, quorum tam Suevicum quam Franconicum plures personalistas maxima ex parte proceres Austriae continent.

perii statibus agnoscantur, ipsaeque Leges Imperii neminem recipi velint, nisi qui huic receptioni se idoneum reddiderit mediante acquisitione territorii cuiusdam imperii immediati¹⁵⁾, arcendi esse omnino videntur ab ordine vere illustrium, ideoque in ipsa vere illustri notione iuris *realis* voti atque lessionis mentio erat facienda.

b) Ne vero aliqua familia dynastica, *matrimonii aequalibus conservata*, si forsan adhuc existat haec ob defectum iuris voti atque lessionis in comitiis exclusa videatur ab ordine vere illustrium, cui tamen tanquam genuinum nobilitatis superioris membrum omnino annumeranda, ad hunc casum in ipsa notionis constitutione respeximus, cacterum quaestionem illam an actu eiusmodi familiae adsint, suo positam loco relinquentes.

A desumendo autem characterem distinctivum totius ordinis vere illustrium *unice* ab eo, an originem trahant a dynastis medii aevi, et hunc imaginum splendorem matrimonii inaequalibus haud obfuscatum probare possint, ea propter abstinuimus, quia inter imperii status, iam inde per plurima saecula hac dignitate coruscantes, quidam omnino fuerunt et adhucdum sunt, qui eiusmodi originis expertes et serie vere illustrium his positis principiis essent expungendi, in cuius rei fidem mentionem fecisse sufficiet familiae de *Fugger*¹⁶⁾ regnante Carolo V. demum ex ignobilium conditione ad comitum ordinem evectae, et hodiernum in *Suevico* comitum collegio voti curiati atque *realis* compotis, in exercitioque iurium familiae vere illustri haud turbatae nec turbatae.

Constituta ita *vere illustri*, iam nos convertimus ad nobilitatis avitae genuinam riteque conceptam ideam, quod erat alium huius §. obiectum.

§. VI.

¹⁵⁾ R. I. N. §. 197. praesertim vero Cap. Caes. nov. Art. 1. §. 5.
 „Auch keine Fürsten, Grafen und Herren in Fürstlichen oder Graflichen Collegiis an oder aufnehmen, sie haben sich dann vorher mit einem Immediat-Fürstenthum, respectiv Graf- oder Herrschaft genugsam qualificeiret.“
¹⁶⁾ cfr. *Pfeffinger Vitruar. illustrat.* ed. III. T. III. Tit. XV. §. 57. b, pag. 1086.

§. IV.

Continuatio.

Nobilitatem avitam in sensu generalissimo habitoque respectu ad ipsius vocabuli etymon eam dico nobilitatem gentilitiam, quae patri eius, qui nobilem se profitetur, iam innata est. Cui opponitur nobilitas codicillaris, s. diplomatica (Briefadel), ut ea nobilitatis gentilitiae species, quae a patre eius, qui nobilem se gerit, privilegio demum acquisita est. Strictiori quodam sensu, nobilitatis avitae (des alten Adels) nomine ea tantum venire videtur, quae quoad primam originem non per codicillos acquisita est, sed illo iam tempore equestri dignitate floruit, ubi nulla plane exstitit nobilitas codicillaris, cuius ante saeculum decimum quartum in Germania certe vestigia non adesse constat¹⁷⁾. Utroque hoc significatu itaque ad acquirendae nobilitatis modum respicitur, sed eadem utraque species et alio quodam respectu non minus notabili considerari potest, an nimirum maiores ex utroque latere nobiles probari possint nec ne, quo priori casu posito nobilitas avita huius generis optimo iure nominanda esse videtur *proba*, (alter ächter Adel), quae eo clarior habetur, quo plures eiusmodi maiores actu probari possint¹⁸⁾.

Fieri itaque omnino potest, nobilitatem suam gentilitiam aliquem profequi posse ad medii aevi usque tempora, eoque non obstante destitutum esse *proba* nobilitate avita, seu *genuino* iure imaginum¹⁹⁾, quia scilicet ob defectum matrimoniorum aequalium defunt maiores ex utroque latere nobiles: nobilem e contrario, in cuius nobilitatis primis staminibus investigandis haud longe progredi opus est, imaginum splendore omnino coruscare, tot nimirum quia adsunt matrimonia aequalia, quot ad constituendum imaginum ius requiruntur. Quia

¹⁷⁾ Cuius rei testem praeter scriptores §. 123. *Elementor. iur. Germ. p. Selchow.* excitatos habemus I. P. de Ludewig in prooemio ad Comment. ad A. B. p. 48.

¹⁸⁾ Ipsa enim ratio probationis nobilium maiorum introducendae nulla alia fuisse videtur, nisi odium erga nobiles novos.

¹⁹⁾ Ius enim IV aut VIII imaginum Imperatoria gratia nobilitate ornatis ex certa quadam taxa concedi solitum hic in censum venire nequit, *sicetumque* inde imaginum ius vocari meretur.

Quia itaque nobilitas eius, qui eam vel ipse primus acquisivit, l. a patre iam acquisitam accepit innatam, iuris effectu pari fere passu procedit ea cum nobilitate, quae quoad originem maxime antiqua quidem est, sed, matrimonii aequalibus deficientibus, imaginum iure haud gaudet, fit inde, ut quoties de nobilitate avita sermo sit, toties fere sub ea intelligatur talis, quae gaudet iure imaginum, nullo ceterum ad eius originem habito respectu ²⁰), nisi quod nobilitas avita in sensu modo constituto, si plane codicillis non sit acquisita, splendidissima habeatur. Nobis itaque hoc loco nobilitas avita ea potissimum est, quae *proba* vocari potest, maioribusque ab utroque latere nobilibus clara,

§. V.

Notitia Literaria quaestionis propositae.

Apud animum quidem constitutum erat, totam scriptorum de matrimonio illustrium inaequali sylvam lectorum oculis hic subiicere, sed idem iam ab aliis, pluribus locis, largissima manu factum esse comperiens, mutavi consilium, et ne actum agerem, fatius duxi lectorem, quantum ad totam horum scriptorum seriem pertinet, delegare ad sequentes autores, quorum unus alterve cuius facile ad manus erit, ubi quae circa hanc materiam disputata sunt, suo ordine disposita inveniet.

I. I. Mosers Teutsch. Staatsrecht 19ter Th. 1748. §. 1.

I. S. Pütteri primae lineae iuris priv. Princip. speciatim German, ed. alt. 1779. §. 23.

Eiusd. Litteratur des Teutsch. Staatsrechts. Th. 3. 1783. §. 152. 8.

de Selchow Elem. Iur. Germ. Priv. etc. etc. ed. sept. 1787. §. 308.

A. L. Schott l. supra citato §. 170.

Quorum virorum, honoris causa nominatorum, collectionibus spicilegii loco addere liceat:

Etwas

²⁰) cfr. *de Selchow* l. c. §. 121. *I. G. Cramer* de nobilitate avita T. 1. (qui lucem tantum aspexit) Lips. 1759. 4. §. 2.

Etwas über die unstandsmässigen Ehen unter dem deutschen hohen Adel von H. D. *Poffe* in *Göttingen*, in *Deutsch. Museum*, Februar 1787. p. 164. sequ.

R. Bedenken von Ehen und Mißheirathen Eines Reichsstands, besonders eines aus solchem Hause entsprungenen Herrn. 8. 1788. *Giessen* — Quod tamen inspicere nondum licuit.

SECTIO ALTERA.

IPSIVS QVAESTIONIS PROPOSITAE EXPOSITIO.

CAP. I.

AN NEGANDA, AN AFFIRMANDA EA SIT, DISQUIRITUR.

§. I.

Separantur Principes a Comitibus.

Generali quondam nomine Principum (der Fördersten, Fürsten) omnes omnino fuisse comprehensos, qui regioni cuidam vel ut duces, vel marchiones, vel comites praeesent, aut denique ex more dynastiarum suis maxima auctoritate imperarent aliodis, id quidem quam certissime contendi posse videtur, recentiori vero aevo vocabulum *principis* non solum ita est usu restrictum, ut nec comites illo sint comprehensi, sed horum posteriorum dignitas atque auctoritas quoad plura alia quoque est diminuta: cuius rei rationes reddi possunt plures, spectat enim huc praesertim ardor, quo multi ex comitum ordine paullo maiori potestate pollentes, ducis etc. titulum appetierint, ideoque ab ipso hoc ordine decesserint, porro huc pertinet nimia in conservandis familiae bonis in unâ persona mediante nimirum primogenitura, aliisque modis divisiones impediendi, in principum familiis

B 2

hodie

hodie fere generaliter usitatis, negligentia. Quibus denique accedit, Comitibus ex iure sessionis atque voti in comitiis, cum votum ipsorum tantum curiatum sit, nec ab iis ita exerceatur, ut a singulis mitatur legatus s. mandatarius, parum auctoritatis accrescere.

Ne itaque, plurium comitum dignitate atque auctoritate, habito respectu ad principes, ita inferiori loco hodie collocata, principium illud, quod de matrimonio illustris cum persona nobilitatis avitae condituri sumus, nimis generaliter conceptum innumerabilibus prematur exceptionibus, consultius erit, primo loco de matrimonio principis cum eiusmodi persona scribere, reservatis illis, quae de comitum matrimonio erunt dicenda. (cfr. §. §. XVI. XVII.)

§. II.

Matrimonium principis imperii vere illustris cum nobili avita ordinario est disparagium.

Expositis, quae forsitan ad ipsum huius quaestionis verum sensum rite percipiendum opus fuerint, iam, quatenus mihi de ea mens haereat, declarare haud dubito. Multis vero gravissimisque rerum argumentis mox fusius, ut decet, exponendis eo adducor, ut matrimonium principis vere illustris cum nobili avita ordinario disparagium esse contendam. Dico ordinario, possunt enim omnino existere exceptiones, virtute specialium dispositionum atque transactionum in una alterave familia obtinentes, sed haec principium illud plane evertere minime valent, sed potius hic provoco ad brocardicum illud: exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ne autem rationibus atque argumentis destitutus haec ita disputare videar, ad ipsa ea exponenda iam me convertito.

§. III.

Diversi generis argumenta invicem separantur.

Lubentissime equidem concedo, in quaestionibus iuris controversi, quoties nimirum de iure iam constituto et non demum constituendo quaeratur, argumenta ex eo, quid sit convenientissimum, desumta,

sumta, parum, quin potius omnino nullum pondus habere, hoc tamen loco, si ipsa illa argumenta circa quaestionem propositam, quatenus ex eo, quid magis conveniat deprompta sunt, minime negligantur, sed potius, quotquot fuerint, secundo proponantur loco, haud parum utilitatis inde percipi posse, persuasum me habeo, pro parte enim ex illis elucebit, studium illud, quo plures principum familiae id egerunt, ut se eiusmodi matrimoniis haud inquinatos, ut ita dicam, servarent, minime fuisse de nihilo, nec vano atque inani ambitionis pruritu productum, pro parte etiam eorum cognitio toties maxime necessaria est, quoties de iure firmando in una alterave familia mediante speciali aliqua dispositione quaestio est, speciali dico dispositione, legibus enim imperii unquam circa hunc locum aliquid constitutum iri, vix sperare audeo, cum illorum, qui legislatoria potestate pollent, quaestionis huius intuitu, maxime diversa sit causa. In diiudicanda itaque quaestione proposita utriusque generis argumentorum tum ex eo, quid iuris, quum ex eo, quid convenientius sit, defunctorum ratio erit habenda, ita tamen, ut prioris indolis argumenta ut graviora et principaliter, huc pertinentia primo omnino loco ponantur, reliquisque praecedant.

§. IV.

I. Argumenta prioris generis.

a) Germanicae originis nationes a matrimonio liberi cum non libera ab antiquissimis inde temporibus maxime abhorrent.

Cum illis licet minime facere possim, qui in iure patrio enunciando ita versantur, ut obligationes iuraque hodiernum obtinentia ex scriptorum Romanorum reliquiis, aliisque antiquissimi aevi monumentis prorsus probata dare studeant, et quoties hodiernum obtinentis cuiusdam instituti in monumentis illis antiquissimis mentionem iam iam quodammodo factam esse deprehendunt, statim eo abripiantur, ut unice fere antiquissima illa principia circa illud attendant, neglectis plane multifariis illis immutationibus atque fatis, quae iuri nostro patrio plus una vice contigerunt, praesertim nimirum sacrorum christianorum introductorum tempore, dein cruciatarum expeditionum aevo, uti denique et iure peregrino in foris Germaniae plenius recepto;

in eruendis tamen genuinis iisque primis rationibus multorum institutorum Germanicorum hodie pro parte obtinentium multum fidei atque auctoritatis huiusce priscae aevi monumentis tribuendam esse censeo, praesertim cum in moribus institutisque suis conservandis maxime tenaces Germanicae gentes habeantur. Dixisse haec sane opus erat, ad invidiam arcendam a sequentibus, quae minime cum in finem proferantur, ut directum aliquod argumentum inde pro sententia nostra defumatur, sed unice ad viam alii argumentationi struendam.

Iuris Romani privati antiqui principia, uti multis capitibus cum illis iuris Germanici privati antiqui ²¹⁾ conveniunt, sic etiam in eo invicem congruunt, quod divisio hominum in ingenuos et servos tam in uno quam in altero utramque faciat paginam, et licet negare haud ausim, servorum Germanorum antiquissimis temporibus conditionem tolerabiliorem fuisse eam servorum Romanorum, ita ut quae de aequali servorum illorum cum servis Romanis conditione passim obvenerint, magis ad mediae aevi tempora referenda esse videantur, in eo tamen utrumque servorum genus convenit, quod a communione iuris civilis exclusi, ut capita seu membra in republica minime considerarentur. In servitutem itaque detrudi, summum erat detrimentum, quod liber homo modo capere poterat: iam veto naturae rei convenientissimum erat, illum, qui ancillam alterius sibi iungeret matrimonio, eo ipso potestati huius domini quoque subiaci, liberosque ex eiusmodi contubernio natos domino eiusdem cedere, quia nimirum dominus alioquin saepius in iure utilitates ex ancilla percipiendi facto alterius impediri potuisset: mirandum ergo non est, homines libertatis avidissimos, quales Germani fuisse referuntur, summo odio persecutos esse matrimonia, quibus liber homo se suamque progeniem in servilem conditionem detrudere periclitabatur, eaque a se suisque familiis poenis etiam rigidissimis arcuisse. Quibus modo dictis fides sexcentis exemplis ex monumentis antiquis comparari posset, sed

²¹⁾ Dico *antiqui*, hodie enim divisio illa ita generaliter facta uti plerumque fieri solet, parum nostris institutis convenit quia scilicet hodie liberi quidam homines adsunt, quae quoad iura privata vix multum differunt a conditione non liberorum, maxima pars nimirum rusticorum,

sufficiēt maxime notabilia. *L. Sal. t. 1. §. 11. ed. Georgoisch et Hein.* ²²⁾ *L. Ripuar. t. 58. §. 15. 16. 18. eod. p. 171* ²³⁾, ut et *L. Alamannor. t. 18. §. 2. 5. eod. p. 204*, quae itidem temperamento aliquo intuitu servorum ecclesiae utitur, ita ut coniugium cum servo ecclesiae ingenuam non statim in servilem causam deducat, quibus confirmatur, quae alibi de meritis ecclesiarum in diminuenda servitute inter Germanos, proferuntur. Porro eadem *L. Alaman. t. 57. p. 220* ²⁴⁾. In *L. Baiuvariorum* de hac materia nil invenire licuit, id quod mirum non est, cum constat, de iis in hisce codicibus tantum aliquid sancitum esse, quae saepius iam obvenissent, ideoque ne in posterum iterum fierent, poenarum sanctionem requirerent ²⁵⁾, idemque iudicium etiam esto de *L. Frisonum. L. Burgund. t. 35. §. 2. 3. p. 363* ²⁶⁾. Nec *Capital. Regum Francor.* alia tradunt principia ²⁷⁾. Conveniunt quoque *Leges Wisigothorum L. III.*

T. I I.

²²⁾ Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipse in servitium implicetur.

²³⁾ Si autem Ripuarius ancillam Ripuarii in matrimonium acceperit, ipse cum ea in servitio perseveret, (exceptio erat in Regis aut ecclesiae ancilla, cuius coniunctio non ipsum ingenuum sed demum progeniem reddebat servilem §. 14). — Quod si ingenua Ripuaria servum secuta fuerit, et parentes eius hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege aut comite Spata (i. e. gladius) et conculca (sufus Kunkel). Quod si spatam acceperit, servum interficiat, si autem conculcam, servitio perseveret.

²⁴⁾ Illa quae illo (i) colono nupsit, non intret in portionem terrae, quia sibi coequali non nupsit.

²⁵⁾ F. C. I. Fischers Geschichte der teutsch. Erbfolge p. 85. I bopp

²⁶⁾ Si vero ingenua puella voluntarie se servo coniunxerit, utrumque iubemus occidi. — Quod si parentes puellae parentem (i. e. filiam) suam perire fortasse noluerint, puella libertate careat, et in servitium regiam redigatur.

²⁷⁾ *Cap. Campendiense* ad an. 757. c. 5, praesertim cap. III. ad a. 819. eod. p. 848. hoc enim continet interpretationem *L. Salicae*, et quidem ad titulum XIV huius legis sequentia: De hoc capite iudicatum est ab omnibus, ut si ingenua femina quemlibet servum in coniugium sumserit, non solum cum ipso in servitio permaneat, sed etiam omnes res, quas habet — — ad dominum cuius servum in coniugium accepit, perveniant — — Similiter et si francus homo alterius ancillam in coniugium sumserit, sic faciendum esse indicaverunt.

T. II. §. 2. 3. eod. p. 1923. 4. ubi ipsa poena mortis et flagellorum (poena a Romanis forsitan pro more *Wisigothorum* recepta) sancitur, ut et quodam certe modo c. 65. et 66. *Edicti Regis Theodorici* eod. p. 2219. et 20.

Ex quibus omnibus odium illud, quo persecutae sunt omnes Germanicae origines gentes coniunctiones liberi cum ancilla, liberae cum seruo, abunde elucet. An vero eodem invido oculo aspexerint quaevis matrimonia, in quibus non summa cotrahentium ratione conditionis civilis obtineret aequalitas, ex hisce argumentis decidi minime potest, quid quod omnino certo decidi posse, desperem.

§. V.

Continuatio.

Negare equidem minime ausim, iam antiquissimis temporibus ingenuorum plures fuisse ordines inter Germanos, nobilium scil. et non nobilium²⁸⁾, idemque et posthac obtinuisse inter Germanicae originis gentes v. c. Francos²⁹⁾; aequae lubenter quoque concedam, omnes has gentes summam in matrimoniis aequalitatem contrahentium quam maxime adamasse, et eiusmodi matrimonium, quo nobilis iungeretur nobili, ingenuus unius gentis ingenuae eiusdem gentis, omnibus aliis praefereudum putasse: cuius rei ratio praesertim in eo fuisse videtur, quod haec gentes id sibi persuasum habent, dotes ingenii atque corporis in progenie alioquin conservari non posse, nisi pater his praeditus dotibus sibi iungeret aequae egregiam, ad quod Tacitus³⁰⁾ iam respexisse videtur, aliisque fufius probatum dedere³¹⁾, ita ut speciali lege inter Wisigothos opus esset, ad demendam

²⁸⁾ Tacit. de morib. Germanor. c. 7. c. 11. c. 13. c. 25.

²⁹⁾ Nobilitatis inter Francos existentiam contra *Valefum et Herrtum* vindicarunt *Gundling* Diss. an nobiliter venter? c. 11. §. 4 sequ. *Kopp* de insigni differentia inter S. R. I. comites et mobiles immed. S. 1. §. 3. quibus addi merentur, quae habet *Esfor* in comitat. de ministerialibus c. V. p. 329.

³⁰⁾ De moribus Germ. c. 4.

³¹⁾ *Conring* de habitus corpor. German. caus. D. Helmft. 1645. pag. 15.

Heineccii Elementa iuris German. Lib. 1. §. 198.

dam a matrimonio Gothi cum Romana licet libera maculam alioquin ipsi inhaerentem ³²⁾. Iisdemque principiis sine dubio et regebatur mater illa uxor Theodorici Regis Italiae, de qua leguntur ³³⁾ sequentia: *Cumque mater eius contra eam (quae scilicet seruo nupserat) valde frenderet, peteretque ab ea, ne humiliaret diutius nobile genus, sed dimisso seruo, SIMILEM SIBI DE GENERE REGIO, quem providerat, deberet accipere.* — — Attamen ex omnibus his argumentis nil colligi aliud potest, nisi illud, has gentes matrimonia plane et summe aequalia maxime appetuisse, minime vero id, poenas fuisse sancitas in illos, qui hanc summam aequalitatem haud curatissime fervarent, uti id evenire poterat in matrimonio liberi cum libera sed diversae conditionis, pluraque sunt, quae haec iu sententia me confirmant. *Primo* enim differentia illa inter nobilitatem et plebem, ut ita dicam, seu reliquos ingenuos non nobiles haud ita magna tunc temporis fuisse videtur, omnes enim ingenui capite civili votoque in comitiis gaudebant ³⁴⁾, unde et fit, ut in ipsis codicibus, uti aiunt, barbarorum nullius fere nobilium fiat mentio, quod praesertim notatu dignissimum est iis harum L. L. locis, ubi occisorum Werigeldum definitur, quod sine dubio maius fuisset iu nobili occiso ac ignobili, si differentia ita magna inter utrumque obtinuisset. *Dein* vero et adsunt exempla inter gentes, quarum mores atque instituta alioquin cum illis Germanorum maxime conveniunt, ex quibus apparet, ipsum Regem non dubitasse matrimonio sibi iungere filiam non nobilis cuiusdam praedii rustici domini, idque eum fecisse citra omne praecidium aut difficultatem ³⁵⁾.

In

³²⁾ L. Wisigothor. L. III. T. 1. n. 1. apud *Georgisch* pag. 1915. — Quae quidem lex ad magis uniendam utramque nationem tam victricem multum conferre poterat, et huius intuitu satis apta.

³³⁾ *Gregor. Turonens.* Histor. Lib. III. c. 31.

³⁴⁾ *Tacit.* de moribus German. cap. XI. initio.

³⁵⁾ *Materialien zur Statistik der Dänischen Staaten*, B. 2. 1786. *Lezte Abhandl.* Auszug aus *Roths* Staatsverfassung des Nordens vor der Lehnzeit. Eiusmodi vero praediorum domini non nobiles, ibi vocati *Bonde*, uti in *Norvegia Odelsmann*, maxime conveniunt cum illis

In medio itaque adhucdum relinquendum esse puto, an odium matrimonii haud plane aequalis ad matrimonia ingenuorum diversae conditionis se extendisse, hoc vero quam certissime ex haecenus dictis elucere persuasum me habeo, matrimonium liberi cum non libera summa fuisse invidia apud gentes Germanicae originis, id ipsum vero probare hoc loco tantum suscepimus.

Provocabit forsitan aliquis ad locum illum notabilem saepiusque iam ventilatum ab *Adamo Bremensi L. 1. hist. eccles. c. 5 ex Meginhardo* prolatum, „Generis quoque et nobilitatis suae providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum „connubiis infœcli propriam et sinceram, tantumque sibi similem „gentem facere conati sunt. Et id legibus firmatum, ut nulla pars „in copulandis coniugiis propriae fortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, liber liberam, libertus coniungatur „libertae, et servus ancillae“. Sed bene notandum, *Saxones* sunt, de quibus haec referuntur, iam vero aliunde constat, inter Saxones nobilitatem sibi tantam praecminentiam super reliquos ingenuos tribuisse, quantum inter reliquas Germanorum gentes tunc temporis minime sibi sumeret nobilitas ³⁶⁾. Quid itaque mirandum, si mortis poenam sancitam inveniamus in nobilem, qui non nobilem licet liberam ducat uxorem? Ad reliquas vero gentes hoc extendere eo minus licet, cum in capitul. R. F. ³⁷⁾ adsit locus quidam, qui id innuere videtur, in Gente Francorum omnino contrarium obtinuisse, verba enim ibi obvenerunt haec sunt: „Si Francus homo acceperit „mulierem, et sperat, quod ingenua sit, et postea invenit, quod „non est ingenua, dimittat eam si vult, et accipiat aliam.“ — Iam vero *hominem francum* et nobilem synonyma esse, multi sunt qui contendunt

illis, qui in Germania veniebant nomine *der Wehren* (cfr. *Moefer Osnabrückische Geschichte Th. 1. Einleit.) Männer, freier Hausväter* (cfr. *Geschlechtsgeschichte der von Schlieffen etc. Cassel 1784. 4. pag. 7.*)

³⁶⁾ *Geschlechtsbist. der von Schlieffen* p. 9. Idem iam multo antea apud Galos venerat, ut patet ex *I. Caes. comment. de bello Gall. L. VI c. 12 et 14.* praesertim cum comparaveris iura atque praerogativas nobilitatis Galicae cum illis nobilitatem Germanorum.

³⁷⁾ Capit. Campendiense de a. 757. c. 5. apud Georg. I. c. p. 530.

tendunt³⁸⁾, cuius tamen matrimonium cum ingenua simpliciter tali diferte hoc loco validum declaratur.

§. VI.

b) *Ordo ingenuorum in sensu eminenti talium terminabatur medio aevo per dynastar* — — —

Talis fere, uti §. §. antecedentibus delineatus est, rerum status fuisse videtur in maxima Germaniae regnique Franciae parte ad decimum circiter saeculum usque, ex illo autem tempore facies rerum admodum mutata. Ingenuorum enim ordo, tam nobiles quam non nobiles, parum inter se differentes, comprehendens, usque ad hoc fere tempus unice ei hominum ordini, qui dominio alterius quoad corpus vel absolute vel secundum quid erant subiecti, conditionique servorum Romanorum modo magis modo minus prope accedebant, oppositus fuerat. iam vero ex hoc circiter tempore licet ordo ingenuorum antiquiorum maximam peressus immutationem duas plane diversae conditionis hominum classes progeniit, quarum una praeter iura atque praerogativas nobilitatis antiquioris quam plurima alia sibi tribuit in praecudicium aliorum vergentia, altera vero iribus antiquiorum ingenuorum pro parte destituta, propius conditioni fere fervili accessit. Cuius quidem revolutionis prima flamina in ipsa eaque fere antiquissima regni Francici regiminis formâ, ut et in gentium Germanicae oirginis animi indole atque moribus deprehendere,

C 2

et

³⁸⁾ *Geschlechtsbistor. der von Schlieff.* p. 9. 'ubi haec obveniunt verba: unter den fränkischen Königen diente den Vornehmen des herrschenden Stammes der Nahme desselben zur Ehrenbenennung; man hiefs sie *Franken* (Francos) — Si tamen dicendum, quod res est, hoc potius generale nomen omnium ingenuorum de gente Francica fuisse videtur, et quoties ei singularis praecedentia tribuitur, haec respicit ad Romanae Gentis ingenuos, Francis longe postponendos. *Eflor de ministerialib.* p. 327. in quo me confirmat locus quidam apud Monach. *Osfridum* qui in praefatione ad Ludovicum Regem (Schilter in thesauro antiquitat. Teutonicar. T. 1. p. 2. v. 25) ad denotandum nobilem generis Francicae vocabulo *Francus* apponit vocem *Edil* — *Wanta er ist Edil Franco* (namque ipse est nobilis Francus), quod sine dubio omisisset, si Francus iam denotasset nobilem.

et inde progressum eius, sensim factum, deducere licet, *ipsum enim nobilitatis existentia, systemati illi beneficiario et iuri quod dicunt manuario iuncta*, non poterat non eiusmodi revolutioni viam paratissime struere: id quod iam, quantum quidem hic opus, brevi exponere lubet.

Ipsa nobilitatis notio eiusque iura et praerogativae licet quidem initio maxime vaga atque parum fuerint determinata, fieri tamen non potuit, quin pro indole gentis ita ardentissime bellum sectantis, uti solebant Germani, praerogativae atque iura eius ordinis, qui bonorum atque divitiarum possessione longe alios antecelleret, eandemque ob causam bello indefinenter inhaerere valeret, sensim magis magisque crescerent, atque in diem magis determinata atque fixa evaderent. Non nobiles enim, tot hominum priorum servitium, quot utebantur nobiles, destituti, belli gerendi furorem deponere, agrisque colendis potius intenti esse, et arma itaque cum instrumentis rusticis commutare cogebantur, ita ut huic urgenti necessitati morem gerere intermittebant, rura inculta denique plane amittere periclitarentur. Generali itaque heribanno indicto multi haud nobilium se sistere omittebant, in castris vero et bellicis expeditionibus cum praesertim locus esset exercendis iuribus liberi civis, eveniebat, ut castra non sectantes membra reipublicae in sensu eminenti antiquiori esse definirerent, et ita libertatis publicae haud exiguum caperent detrimentum, cum scilicet dehinc non propriis sed aliorum consiliis se regi, pati deberent. Nobiles contra ipso hoc rerum eventu, perpetuoque belli exercitio tum praerogativis ratione status publici augebantur, quam virtute, alacritate aliisque corporis dotibus crescebant, ita ut patriae civitatisque defendendae cura illis fere unice mandata videretur. Quo plus vero viribus divitiisque pollebant, eo magis summo ardore in eo erant occupati, ut non nobiles adhucdem libertate personali fruenter sibi subicerent, eosque variis legibus atque conditionibus sibi redderent quasi proprios atque devotos³⁹⁾. Cui nobilium nisui atque conamini haud parum adiutorio erat illud tunc temporis lae-

³⁹⁾ I. Mieser Osnabrücksche Geschichte. Berlin 1781 Th. 1. p. 72. 286. 293. et 299. v. Gänderode Beyträge zu einer Geschichte der Margg. Baden etc. in Poffels Wissenschaftlichen Magazin. Band II. S. 1. sequ.

laetissime efflorescens *systema* nimirum *beneficarium*, uti et *iuris manuarii principia summe divulgata*. Prioris enim virtute longe iam veteratus erat mos, commendandi se alii, i. e. nexui cuidam, libertati personali omnino maxime nocivo se subiiciendi, ad servitia se obstringendi alteri, et loco eius sibi stipulandi ius utendi fruendi. dominio proximum, re alterius praesertim immobili, ut et defensionem contra iniurias aliorum. Iuris manuarii autem principia sine dubio multum conferebant, modo ad commovendos infirmiores se nexui illi alioquin minime proficuo subicere, modo ad irritandos nobiles et potentiores, omnibus viribus id agere, ut alter alterum numero clientium antecelleret, in hoc enim ipso multum ad felicem belli privati eventum producendum erat positum.

Plures quidem huius subiectionis nexi erant gradus diversissimae conditionis, sed omnes tamen ab infimo servo usque ad vasallum in specie sic dictum, qui ad servitia tantum militaria adstrictus erat, et quales origine tantum Reges atque Duces habuerant, quodam libertatis defectu laborabant, ideoque omnes hi ab illis, qui se liberos ab eiusmodi nexu conservaverant, quodammodo minoris aestimabantur, quid quod ab ipso quoque vasallo servitia haud raro honorifica talia domino essent praestanda, quae viro plane libero atque ingenuo parum digna facile videri poterant ⁴⁰). Ministerialium vero conditio, et quidem eorum, qui pertinebant ad nobiles, (ministerialium enim regni longe alia erat ratio, uti itidem et vasallorum regni), quam prope conditioni fere servili accesserit, de eo sufficet Lectores delegasse ad *Esforem*, qui *C. II. S. III. p. 124. in comment. de ministerialibus* huius conditionis imaginem delineavit nitidissime.

C 3

Ex

⁴⁰) Pertinent huc praesertim plures actus in infeudatione partim olim partim hodiernum obvenientes, v. c. genuum flexus, pedum osculatio, et quae sunt huius generis plura. Quid quod vasalli magnanimi talia saepe ita indigna ferrent, ut per alium ea peragi curarent. *Zepernik Sammlung zum Lehnrecht etc. Th. 2. p. 330 n. (d). Geschichte des heutigen Europ. aus dem Englischen von Zölner. Th. 1. S. 214.* Eiusdem farinae et erant plura servitia a vasallis domino olim praestanda, v. c. *Servitium Strepae*, de quo cfr. *Schilter* ad *Ius Feud. Alaman. c. VI. §. 5. ed. 1.*

Ex hoc itaque tempore nomine ingenui is fere tantum salutatur, qui ab eiusmodi nexu subiectionis ratione nobilium se immunem atque incontaminatum servaverat, et ex tali familia progenitus erat, ita ut vocabulum *ingenui* quinimo et *liberi medio aeo* fere semper denotet dynastam, reliquorum vero ordinum homines aliis designentur nominibus v. c. *Dienstmänner, Leute* ⁴¹). Illustratur hic vocis *ingenui* significatus praesertim ex *cap. 50. §. 4. Iur. Prov. Aleman.* edit. *Schilteri in eius antiqu. Teut. thes. T. II. p. 35.*, ubi disertè vocabulum *ingenui den Höchstfreien* denotare contenditur verbis: *ingenuus das spricht in Latein höchstfrey*, ex quo apparet, adfuisse quidem omnino et alios nomine *der Freien* insignitos, ratione scil. immunitatis a plenaria subiectione herili, eosdem ipsos vero exclusos fuisse a nomine ingenuorum in sensu hoc eminenti, quia se nexui verè ingenuorum subiecissent: id quod multo magis elucet ex *cap. 49. Iur. Prov. Alem.* ed. Senckenb. ⁴²); hoc enim loco tres quidem classes liberorum constituuntur, sed nomine *der Hohenfreien* illi longe aliis anteponuntur, qui reliquos in nexu aut vasallitico aut ministeriali tenent ⁴³). Praesertim porro genuinus vocis *ingenui* mediè aevi tempore significatus elucet ex duobus chartis, quibus Rudolphus I. Imperator Sae. XIII. iura *ingenuitatis* et simul *nobilitatis* personis quibusdam

⁴¹) Pfeffinger in *Vitruvio illustrato* T. II. p. 760 Kopp. de insigni diff. inter Com. S. R. I. et nobiles immed. f. I. § 67. sequ. *Strubens* Nebenstunden Th. IV. p. 360. sequ. *Scheid vom Adel* pag. 265.

⁴²) Hie soll man merken dreyerley freye Leuthe, welche Recht die haben. Es heißen eines *Semperfreyen*, das sind die *Freyherrn*, als Fürsten, und die andere *Freyen zu Mann* haben. Das ander sind *Mittelfreyen*, das sind die, die der hohen freyen Mann sind? Das Dritt sind, die *freygebohren* sind, die heißen freye *Landassen*, der hat ihr jeder ihr sonder Recht. Diserte itaque ipsi gradus libertatis desumuntur a maiori vel minori immunitate a nexu quodam subiectionis, cuiuscunque demum generis sit.

⁴³) Idem et indigitare videtur illustriss. Schlieffen l. c. p. 11. verbis: Die Grenzen des *ältesten Adels* scheinen sich gerade so weit erstreckt zu haben, als die der *lauteften Freygeborenenheit*, welche durch keine *dienstbare Abstammung*, oder *anerkannte Gebörigkeit* herabgewürdigt war. Bis in sehr späte Zeiten blieb es gewöhnlicher, die vornehmsten Herren, *Freye* oder *Freygebohren*, als *Edle* zu nennen.

dam ministerialis conditionis confert, ibi enim diserte *ingenuus* et *nobilis* pro synonymis habentur et declarantur ⁴⁴⁾).

Ex haecenus quidem dictis sufficienter elucebit, tempore medii aevi inter eos, qui origine omnes ingenorum nomine salutarentur, maximum irrepsisse discrimen, cuiusque discriminis stabiliendi rationem in eo fuisse positam, quod alii opibus suffulti a dependentiae nexu se immunes fervarent, ideoque nomine ingenorum in sensu eminenti, quia scilicet iura antiquorum ingenorum sibi fere unice tribuerant, venirent, reliqui vero olim quidem quoque ingenui nunc prioribus longe postponerentur, quia non conditione plane libera, sed potius admodum restricta utebantur (*se waren hörig*) ⁴⁵⁾).

Iam vero §. §. IV. et V. hui. cap. argumentis ni fallor haud insufficientibus demonstratum est, Germanicae originis gentes summo odio persecutas esse matrimonia inter ingenuum et servilis quodammodo conditionis personam, huius itaque, ut etiam eius, quod antiquorum ingenorum quidam hoc nomine in sensu eminenti insigniti fuerint, reliqui vero eo ob conditionem aliquam servili analogicam, eique

⁴⁴⁾ Sunt haec chartae illae, quibus Adelheidi de Münzenberg et Elisabethae Malticiae uxori Henrici Illustris March. Misniae iura *ingenuitatis* conceduntur, in quarum priori obveniunt verba: — — te puerosque tuos, si quos habes, vel in posterum te habere contigerit, reddimus et danamus *nobiles* et *ingenuos* — — — et in altera: „et ipsos *ingenuitatis* et *liberi partus* honore et titulo perpetuo insignimus, volentes eos sic semper in antea in *ingenorum* et *nobilium* sortem et numero recenseri“ — — cfr. Pütteri pr. lin. iur. priv. princ. ed. II. p. 49 sequ.

⁴⁵⁾ Quod quidem sub nomine *ingenui* medii aevi tempore in dubio ferre semper eum intelligendum esse, qui plane a nexu subiectionis et dependentiae ratione nobilis cuiusdam immunis esset, si ab omnibus semper rite esset observatum, a multis sane rixis abstinere potuissent, de origine nimirum *hodiernorum burgensum* et *quorundam rusticorum* facile enim concedi potest plures *burgensum* quinimo et *rusticorum* familias origine fuisse *ingenuae* conditionis, sed ad *ingenorum* ordinem in sensu medii aevi referendas fuisse, nemini facile persuadebitur, vid. de Seibow I c. §. 108. n. 1. compar. cum n. 2. et 3. et hoc modo contradictiones, quas alii in monumentis intuitu originis *burgensum* et *rusticorum* deprehendisse crediderunt, sublatu minime erunt difficiles.

eique modo magis modo minus prope accedentem, fuerint destituti, memores, conicere possemus, et quidem magnis rationibus suffulti, matrimonium ingenui in sensu hoc eminenti cum persona non vere ingenua sed ad alium quodammodo pertinente omnino fuisse prohibitum, odio multisque incommodis expositum. Quae vero coniectura tot tantisque rerum argumentis tesmonisque suffulciri potest, ut omnino pro veritate habenda sit, in eoque exponendo sequens §, occupata erit.

§. VII.

Eodemque tempore matrimonium ingenui in s. eminenti talis (Dynastae, Nobilitis) cum non nobili verum erat disparagium.

Antecedenti §. probare studuimus, ingenuum in sensu eminenti medio aevo eum denotasse, qui plane et perfecte esset liber, sive eum, quem eius temporis monumenta vocitent *Semper* et *Höchstfrey*; id ipsum vero cum etiam character dynastae s. nobilitis eius aevi esset ⁴⁶⁾, haud alia exculpatione opus erit, ad excusandum usum horum vocabulorum tanquam synonymorum in ipsa huius §. inscriptione.

Matrimonium vero Nobilitis in sensu medii aevi (ideoque *eines Fürstenmäßigen*) cum persona non nobili, licet ingenua in sensu nimirum prioris aevi, minime fuisse aequale, sed potius verum disparagium iam fufius exponendum erit, quem in finem plura proferentur argumenta, modo ex collectionibus legum medii aevi, modo aliunde desumpta.

I. Ex collectionibus quidem illis deprompta argumenta sunt haec: *Articulo 72 lib. III. Ius Prov. Saxon.* sic dicti (ed. Zobel) verba leguntur sequentia: „Das ehelich und freygebohrne Kindt behelt seiner Vaters heer schilt, und nimpt auch sein Erbe und der Mutter also, wol, ob es ihr ebenbürtig oder bas gebohren“. — „Legitima et ingenua proles clypeum patris sui et haereditatem eius matrisque „obti-

⁴⁶⁾ cfr. Nubem testium veritatis de nobilitate Germanorum vera in *Estor commentar. de ministerialibus p. 360 sequ.*, qua evincitur titulum nobilitis ordinario tributum non esse medio aevo, nisi ad minimum dynastis.

obtinere, si sit aequalis generationis vel melioris ⁴⁷⁾). Haec quidem verba nihil continent, ex quo *directo* demonstrari posset, matrimonium eiusmodi, de quo nimirum nobis est quaestio, fuisse disparagium, sed hoc tamen illis omnino elicere potest, fieri potuisse, ut infans ex matrimonio quodam *liber* natus, nihilominus ab haereditate materna excluderetur, quia matri non fuerit aequalis, id quod verba: *und nimpt auch sein Erbe und der Mutter also wol*, ob es ihr ebenbürtig ist oder bas geböhren diserte indigitant, conditionis enim instar facultati haereditatis maternae capeiendae adiicitur, *si fuerit matri aequalis*. Iam vero infans, de quo haec disponuntur, supponitur *liber* natus, *das ehelich und freygebohren Kindt*, cuius parentes itaque *liberi* quoque fuerint necesse est, et nihilominus tali infanti *libero*, et a parentibus *liberis* *progenito* ex dispositione huius articuli, haereditas materna denegari poterat, quia *matri non fuerit aequalis*, nonne itaque optimo inde colligere licet iure etiam inter parentes ab utraque parte *liberos* matrimonium vere inaequale et disparagium obtinere potuisse? Id ipsum vero cum a multis negetur ⁴⁸⁾, qui inde argumentum contra nostram de disparagio sententiam desumunt, non plane superfluum ipsam hanc demonstrationem duximus, praesertim cum posteriores conclusiones inde omnino deduci possint. Matrimonium enim vere inaequale si inter personas ab utraque parte *liberas* obtinere potuit, fere extra dubitationis aleam positum certe vero maxime simile est, matrimonium nobilis eius aevi cum non nobili ante omnia ad vere inaequalia numeranda fuisse, cum haec hominum *liberorum* divisio in nobiles et non nobiles, s. *ingenuos* vere tales, et *liberos* quodammodo ad alium pertinentes, *so gewissermassen hörig*, longe notabilissima eo tempore esset.

Argumentum multo magis stringens, quod nimirum *ingenuus* vere talis matrimonium aequale contrahere medio aevo non potuerit nisi cum aequae *ingenua*, prodit *Ius Prov.* ut aiunt *Aleman. cap. 50.* ed.

⁴⁷⁾ Vocem *Bas* hic denotare *melius*, de eo conf. *Wachter* Glossarium German. f. *Lips.* 1737. p. 126.

⁴⁸⁾ de *Selchow* l. c. §. 109. „Nec inter *ingenuos* disparagium contrahitur“. *Ingenui* vero illi sunt omnes *liberi* in genere exceptis *libertis* §. 107. *cod.*

ed. Schilt. verbis: „Es ist Niemand Semperfrey denn des Vater und Mutter Semperfrey waren, die von den Mittelfreyen sind gebohren, die sind Mittelfrey, und ist die Mutter Semperfrey, und der Vater Mittelfrey, die Kinder werden Mittelfreyen. Und ist der Vater Semperfrey, und die Mutter mittelfrey, die Kinder werden auch Mittelfreyen.“ Disertis itaque verbis hic edocemur, matrimonium summe ingenui eines Fürstenmäßigen, quales indigitari sub voce der Semperfreyen supra §. VI. ex pluribus argumentis vidimus, aequale esse non potuisse vere tale, nisi cum aequae ingenua et nobili initum sit, principium enim illud: infans sequitur conditionem sequiorem, manifeste hic constituitur etiam in matrimonio ingenui in sensu eminenti talis cum persona inferioris conditionis et si libera. Dubitari itaque secundum principia harum legum nequit, inscriptionem huius §. optimo iure formatam esse.

Erunt forsau, qui huius argumenti vim eo infringi posse sibi persuadeant, quod contendant, vocem *Semperfrey* hic non denotare summe ingenuum et in sensu eminenti talem, sed tantummodo eum, qui libertatem non manumissione, sed nativitate a parentibus utriusque lineae primi et secundi gradus ingenitam acceperit⁴⁹⁾, sed huic multa sunt quae opponi possint, primo enim c. 49, Iur. Prov. Alem. ed. Senkenb. 50) disertis ei contradicit, in quo ad ordinem der *Semperfreyen* non nisi ad minimum dynastiae numerantur, dein aequae manifeste ei oblat locus quidam Recess. Imp. Rudolphi I. de a. 1237, quem ex authentico descriptum refert Lehmann in *Chron. Spir. Lib. V. c. 108.*, ubi verba ita fluunt: „An allen den Sachen die hievor geschrieben sint, mac ein jechlich Sempermann, der sin Recht hat behalten, er si Fürst oder anders ein Hochmann dem Vater helfen bezewegen, sinaz er weiz.“ Vocabulum itaque *Sempermann* cum principis vocabulo synonymice usitatur. Nec denique cum hac opinione convenit ipsorum clypeorum militarium designatio, quinto enim et sexto loco collocantur domini libertatis mediae et ministeriales⁵¹⁾, utros-

⁴⁹⁾ *Selchow* l. c. §. 107.

⁵⁰⁾ — — Es heißen eines *Semperfreyen*, das sind die *Freyherrn*, als „Fürsten, und die andern *Freyen* zu Mann haben“.

⁵¹⁾ *In feudale Alem.* §. 1. edit. Senkenb. 1740. p. 19. „die mitlern „Freien den fünften, die Dienstmann den sechsten“.

utrosque vero nunquam voce *der Semperfreyen* indigitatos esse, nemo non concedet, referendi itaque essent ad classem ex *vera servitute manumissorum*, si nimirum vera esset opinio eorum, qui contendunt, quod *die Semperfreyen* oppositi tantum sint ex servitute manumissis, quia vero absolum esset, utramque hanc classem ad manumissos remittere, absolum quoque est ea de significato *der Semperfreyen* assertio.

II. Ad sunt chartae ex hoc aevo, ex quibus manifestissime constat, illustres seu nobiles eiusaevi a matrimonio ministerialium reverentiam ob causam abstulisse, quod liberi inde nati successione in feudis aliisque bonis haberentur incapaces, ideoque causam odii illius non tam in mera atque inani superbia, quam potius in maximo inde enascente detrimento fuisse positam. In cuius rei fidem sufficiat adduxisse chartas illas supra iam allegatas, (§. VI.) quibus nimirum Imper. Rudolph. I. *Elisabethae de Maltix* atque *Adelheidi de Munzenberg* iura ingenuitatis tribuit, in utraque enim loco *supra cit.* diserte obveniunt verba sequentia. „Volentes eos sic semper manentes in „ingenuorum vel nobilium sorte et numero recenseri, ac si de ventre libero nati essent, ita, quod ad successionem feudalium et aliorum „quorumlibet, pari forma sicut nobiles et ingenui admittantur.“ Successione itaque manifeste incapaces fuissent liberi ex personis illis progeneriti, nisi iura ingenuitatis hac charta accepissent. Eiusdem farinae quoque est diploma illud, quod Wenzeslaus 1393. comiti *de Hapsburg* virginem *de Landenberg* in matrimonium ducturo impertiebat, et cuius verba infra oculis lectorum subiicere operae erit pretium ⁵²⁾. Ne autem, quis sibi persuadeat unice contra *ministeriales*

D 2

viales

⁵²⁾ Wir Wenzlaw von Gottes Gnaden Römischer König etc. bekennen und thun kunt öffentlich mit diesem Brief — — — das wir von wegen des edlen Hansen Grafen von Habsburg — — — fleißiglich gebeten sin, wan er Nezen von Landenberg zu seiner ehelichen husfrawen genommen habe, die nicht von Grafen sondern von Dienstluten stammen geböhren ist, das wir die Erben, die er jezunt mit ihr hat, oder hernach gewinnet, erhöhen gnedelichen geruthen — — — und haben darumb — — — di egenannt seine erben — — — geadelt — — — und sollen und mögen auch alle und igliche Graffschaft und herrschaft, di der egenant Graf Hans, ir Vater hinter im läßt, erblichen bezizen, gleicherweis, als ob die ege-

riales hoc odium fuisse directum non vero contra alias personas liberas, excitemus locum illum ex chronico Hassiaco, quod *Riedeselanum* vocatur, quo *Otto Dominus Hassiae* circa initium decimi quarti saeculi vigens verbis sequentibus laudatur: „*Dieser Landgraf regierte wohl, bat seine Söhne, sie wollten die Unterthanen gerne hören und das Land nicht theilen; und wenn ihm seine Gemahlin Adelheid (gebörne Gräfinn von Ravensberg) stirbe, wenn er dann seinen Wittwenstand nicht keusch halten könnte; wollte er auch in keinem sündigen Leben funden werden vor Gott; aber auch keines Fürsten, Herrn noch Grafen Tochter nehmen, damit durch zweyerley Kinder das Land nicht zertheilt würde; sondern wollte eine fromme Jungfrau von Adel zur Ehe nehmen, und die Kinder mit Geld und Lebenschaft, und andern Gütern wohl versorgen, das das Fürstenthum bey einander bleiben sollte*“⁵³). Hic itaque manifeste supponitur, ex matrimonio filiae principis, dynastae aut comitis natos liberos necessario ad successionem cum liberis iam existentibus esse admittendos (primogeniturae enim tunc temporis nullus erat usus), ex matrimonio vero cum virgine nobili (in sensu scilicet recentioris aevi, tunc sese iam sensim insinuanti) progenitos ad hanc successionem aspirare non posse, i. e. matrimonium principis cum eiusmodi persona initum fuisse disparagium.

§. VIII.

Continuatio.

Quibus ex ipsis Legum collectionibus atque chartis medii aevi desumptis argumentis accedunt alia aequae fere notabilia, quorum praesertim spectant sequentia:

Primo

egenant Neze ihre Mutter von Grafenstand kommen und geboren wäre. *I. I. Moser teutsch. Staatsr. th. 19. pag. 219 und 220.* Ubi ex *Wolfart de matrimonio ad morgan. p. 33* quaedam annotationes ad hanc chartam adiunguntur, quarum hic adicere non possum non tertiam: *Liberi ex comite et foemina inferioris nobilitatis geniti non sunt successionis capaces in comitatum paternum.*

⁵³) *I. N. Herr de specialib. rebusp. I. R. G. Sect. 11. §. 6. n. 4. in opuscul. eius T. II. p. 110. edit. 1700. 4.*

Primo quidem loco huc referendum esse censeo testimonium Petri de Andlo circa a. 1460 vigentis⁵⁴⁾, verbaque *L. 2. c. 12. p. 94. de Imp. Rom.* ita facientis: „Est autem Alemannis inveteratus usus, et longe retro observata consuetudo, non magna quantum conicere licet ratione suffulta, ut baro copulando sibi militaris et inferioris generis coniugem, prolem suam inde creatam degeneret atque debaronizet, filiique de cetero barones minime vocitentur.“ Barones, de quibus hic sermo est, sine dubio sunt illi *liberi domini* s. ingenui in sensu eminenti, qui scil. liberi et immunes sunt a subiectione, alibi etiam *Semper barones* vocati⁵⁵⁾, horum vero matrimonia cum persona inferiori et tamen militaris conditionis (ideoque ad hodiernam nobilitatem inferiorem omnino pertinenti) diserte hic vera declarantur disparagia, et quidem a viro, qui, ipse maxime irrationalem hunc usum putans⁵⁶⁾, eo maiorem fidem in enarrando meretur.

Haud praetermittendum *dein* videtur, quam anxie id egerint vasalli, ne dominus sibi iungeret matrimonio personam inferioris conditionis, cuius rei notabile exemplum deprehendimus apud *Albertum Abbatem Stadensem*, qui ad a. 1143. refert⁵⁷⁾: „Marchio Udo proponens ducere Elickam filiam magni Ducis, declinavit in domum Helprici comitis de Ploceke, et videns valde pulehram sororem suam Ermengardem, duxit eam. Unde multum indignati sunt vasalli sui qui pares erant Helprico, et quidam maiores.“ In charta denique quadam⁵⁸⁾ de a. 1211. itidem diserte ad evitandum

D 3

dispa-

54) *Pütter Litteratur des T. St. R. Th. I. §. 30. p. 78.*

55) *du Fresne Glossar. T. 1. p. 427.*, ubi et ipsa haec verba referuntur.

56) Id quod quidem mirandum non est; cum principia iuris Romani, quibus *P. de Andlo* inhaerebat (*Pütter l. c. §. 35.*) huic usui omnino contradicant.

57) In *Schilteri* scriptoribus rerum Germanicarum - Argentor. 1702. fol. p. 272

58) „Fuitque arbitrium Curiae suae, quod non audierant neque viderant, quod Baroniam aliqua esset divisa pro herede femina, in qua heres masculus haberetur; sed heres femina maritadium accipiebat a patre vel matre sua, vel matribus suis, tale siquidem in quo non disparatus, et quod ei conveniret secundum genus, et nobilitatem suam, *du Fresne glossar. l. c. T. 11. p. 123.*

disparagium filiae baronis requiritur *nobilitas* in coniungendo, iam vero constat nobilem eius temporis non fuisse, nisi ad minimum ex gente dynastica progenitum.

Ex quibus hactenus dictis principia quaedam generalia stabilire optimo iure licebit.

I. Qui contendunt medio aeo matrimonium ingenui cum ingenua minime fuisse vere inaequale, manifeste errant, quatenus quemvis nativitate liberum hoc nomine salutant ⁵⁹⁾, contrarium enim tam ex Legum mediae aevi compilationibus quam aliis monumentis praesertim antecedenti probatum: quatenus vero ab iis, qui talia asserunt, vocabulum ingenui in sensu quodam eminenti usitatur, a veritate quidem haud abhorret, ingenuum cum ingenua matrimonium vere inaequale contrahere non potuisse ⁶⁰⁾, sed facile apparet, re ita constituta, inde nil profuere, quo assertio de matrimonio illustres inter atque nobiles hodiernos *aequali* confirmari posset. Idemque etiam obtinet circa eorum assertionem, qui paroemiam illam: *Das Kind folgt der ärgern Hand*, unice ad partus ancillarum aut hominis servilis conditionis restringere cupiunt, cum tamen *cap. 50. Iur. P. Alem.* supra excitatum diserte contrarium edoceat.

II. Duplicis praesertim generis hoc tempore fuisse videntur rationes, odio omnino gravi persequendi nuptias inaequales nobilis cum non nobili:

Primo quidem fieri non potuit, quin macula illa subiectionis et dependentiae (*der Hörigkeit*), qua omnes non nobiles tunc temporis ob nexum aut vasalliticum aut ministerialem adpersos fere fuisse comperimus, libertati eidemque egregiae cuius avidissimi erant Germani,

⁵⁹⁾ de *Seibow* l. c. §. 109. „nec inter ingenuos disparagium contrahitur“, et praesertim §. 311. „Ius Germanicum medium cum antiquo amice conspirat. Neque enim in constitutionibus Imperatorum et aliis Legum compilationibus aliud matrimonium inaequale dicitur, quam ingenuorum et personarum servilium“. cfr. quoque *G. L. Boehmer Princ. Iur. Feud. §. 122. p. 52.*

⁶⁰⁾ Ad idem hoc principium provocabat quoque Marchionissa *Beatrix*, haec enim cum incio Imp. Henrico IV maritum sibi sumisset *Ducem Gothofredum*, se exculpabat, inquires: „ingenuam ingenuo nupsisse“ ideoque honestati minime contrarium esse actum. *Ge-schl. H. der Schlieffen* p. 11, n. 2.

mani, minime congruens, Nobilibus horrorem incuteret, quoties aliquis ex ipsorum familia eiusmodi matrimonio se, ut ita dicam, inquinare periclitaretur.

Alter vero ratio tam gravissimi fuisse videtur ponderis, ut etiam nobilem a praeiudiciis maxime immunem facile ab eiusmodi matrimonio retinere potuerit. Ex principiis enim Iur. Feud. eius temporis constat, legem firmissimam eamque longo usu roboratam adfuisse, dominium directum feudi nimirum non posse transferri a domino directo in alium, nisi domino vel superiorem vel ad minimum patrem, nullo modo vero in eum qui inferioris esset conditionis ⁶¹). Inferiorem vero conditionem hic non unice in censum venisse, quatenus esset servilis, sed qualemcunque diminutionem aut humiliationem clypei, ut aiunt, militaris maximi fuisse momenti, plura medii aevi monumenta satis dilucide docent ⁶²). Iam supra (§. h.) exemplum adduximus sat notabile, ubi nimirum vassalli matrimonium marchionis cum filia comitis indignum ferre haud dubitarent. Aliud eiusdem farinae exemplum exhibet Historia Francica, refertur enim ⁶³):

„*Arturum* ducem *Britanniae minoris* sive *Armoricae* una cum subvassallis contradixisse, cum Philippus Pulcher Rex Galliae a. 1308, Eduardo II. Regi Angliae feudum Ducatus Britanniae cecidisset, Arturumque huic cessionem se ideo opposuisse, *quia ipse invitum domino minus digno cedi non possit*: Azonem denique, lumen illud Ictonium Italiae, desuper consultum cessionem non valere respondisse ⁶⁴).“ Manifeste itaque nobilis, matrimonium cum non nobili iniens,

⁶¹) G. L. Boehmer Princip. Iur. Feud. §. 209. n. a. — cfr. Zepernick 1 c. Th. 11. p. 232.

⁶²) Uti et ipsa verba Iur. Feud. Alem. c. 153. §. 6. hoc clare indigitant.

⁶³) I. Schiltner in comment. ad Ius Feud. Alem. cap. 89. §. 4. pag. 354.

⁶⁴) Nec fere dubito, ex ipsa hac re deducere originem moris illius, secundum quem consensus vassallorum et ministerialium in alienationibus territoriorum requirebatur medio aevo. cfr. Hert de superiorit. territor. D. §. 65. in opus. T. 11. p. 328. 1ed. 1700, ubi exemplis pluribus dicta confirmantur. Quod de recentioribus temporibus alii affirmant, alii negant. *Eclaircissements sur divers sujets inuteresseants, pour l'homme d'etat et de Lettres* (par M. de Steck). Berlin

niens, quo ex matrimonio pro more eius temporis liberi patri aequales nasci non poterant, filios suos ad summum vasallorum amitendorum periculum adducebat, etsi enim quae modo de translatione feudi in dominum directum inferioris conditionis dicta sunt, praesertim veram alienationem in specie sic dictam concernant, in successione tamen omnino cautum quoque id erat, ne vasalli ea interveniente domino inferioris conditionis subiicerentur, id quod ex ipsis Legum feudaliū eius temporis compilationibus abunde apparet ⁶⁵). *Wo der Sun dem Vater nüt ebenbürtig ist, do geweigernt, die fins Vater worent wol sich ir Lehen von Im zu entphohende Und hat der Vatter das Lehen von eime andern Herreu zu farent mit Rechte wol an den obern Herren und entphohent ir Lehen von Im Ist es aber sin eigen gewesen so sullent es die Man von Im entphohen oder es als uff slohen (refutare), quae ultima verba demonstrant, periculum vasallorum amitendorum etiam adfuisse, etsi pater feudum a nullo superiore tenuisset, vasalli enim hoc casu feudum refutare poterant, iam vero refutatio feudi medii aevi tempore, ubi nimirum in auxilio a vasallis praestandis omne nobilium in bellis privatis praesidium erat positum, maximo saepius detrimento domino esse poterat, id quod et ansam dedisse videtur praecautio illi, qua scilicet utebantur quidam domini directi, in ipsis investiturae literis sibi stipulantes, ne vasallo liceat feudum refutare ⁶⁶).*

§. IX.

c) Omnino praesumendum etiam hodiernum matrimonium principis cum nobili esse disparagium.

Extra omnem fere dubitationis aliam fore positum spero, matrimonium nobilis medii aevi cum persona etiam militaris conditionis fuisse

lin 1785. n. 3. Theod. Schmalz Diss. de iure alienandi territoria absque consensu statuum provincialium principibus Germaniae competentente. Goettingae 1786.

⁶⁵) Ius Feud. Alem. c. 40. ed. Senckenb. 1740, quocum convenit cap. 20 in med. Iur. Feud. Saxon. verba eius latina in cap. XVI. §. 1. ed. Senck. p. 226. haec sunt: „Filius imparis conditionis, si vixerit post mortem patris, et vasalli renuant ab ipso suis feudis investiri, ipse a nullo elongat feudum de futuro in bonis patris collatum.

⁶⁶) Ledderbosc kleine Schriften 1785. n. 2.

fuisse ordinario disparagium. Iam vero ab aliis longe lateque demonstratum, hodiernos principes Imperii fere omnes ex istis familiis, quae tempore undecimi et proxime sequentium saeculorum nobilium nomine venirent, originem trahere ⁶⁷⁾, hodiernos nobiles e contrario e gente vasallorum et ministerialium, qui quidem tunc temporis nomine *der Mittelfreyen und Dienstmanne* comprehenderentur ⁶⁸⁾. Qua in re nec ipsos illos habemus contradictores, qui alioquin disparagium principis cum nobili haud agnoscunt ⁶⁹⁾. Persuaturus itaque sibi, hodie omnia illa principia de matrimonio summe ingenui cum persona militaris conditionis medio aevo stabilita, per se cadere debere, quia nimirum hae personae militaris conditionis tunc temporis minime nobiles iam nunc decoratae sint titulo dignitateque nobilitatis, maximo involutus haereret errore, primo enim multum abest, ut cum nobilis titulo quoque iura et praerogativae nobilium eius aevi sint acquisita ⁷⁰⁾, dein ipsi nobiles eius aevi ex eo tempore, quo titulus nobilis ad alios alioquin non nobiles devolveretur

⁶⁷⁾ *Pfaffinger* in *Vitriario illustrato* L. I. T. XX. p. 856. sequ. 279. sequ., illiusque labores longe superans *Eslor* de ministerial. p. 360 sequ.

⁶⁸⁾ *J. C. Cramer* de nobilitate avita p. 57. cuius verba *n. b.* haec sunt:
 „Mediam ingenuitatem vasallis ingenuorum summorum, Principum nempe et Comitum et Baronum assignat Ius Alamann: eosque „Mittelfreye appellat. Horum nomine viros scabinales Schöppen- „barfreye (quos itaque rite distinguit von den Semperfreyen) quonimo univrsum ordinem equestrem (exclusis tamen illis, qui ex summe ingenuis ordini equestri se associaverant — s. das Schildesamt übernommen hatten) „a quo hodierna nobilitas inferior originem „traxit, comprehendendi existimamus“.

⁶⁹⁾ cfr. *de Seibow*, qui §. 113 et 114. *Element. Iur. Priv. Germ.* omnino nobiscum in assignando principibus originem ex nobilibus primi aevi, nobilitati inferiori vero ex militaribus per eminentiam dictis familiis, convenit.

⁷⁰⁾ *Eslor* de statu, dignitate item et differentia veterum dynastiarum imperii et hodiernorum nobilium in *Oesterri Histor. Biblioth. T. 1. Nürnberg. 1757. 8. p. 363 — 472. Eiusdem Commentat. et opuscul. Vol. 4. P. 11. n. 6. ubi: Gründlicher Beweis des großen Unterschiedes zwischen dem hohen und niedern Reichs- und Landständigen Adel.*

veretur, nomine *Illustrium* firmiter salutati, eodem intervallo a nobilibus hodiernis constituti manserunt, quo unquam antea fuerint, quid quod *denique* iuribus superioritatis territorialis ex eo tempore multum auctis, quinimo firmis demum plane redditis distantia illa ut ita dicam magis aucta quam diminuta videatur.

Secundum illud itaque iuris Germanici tam privati, quam publici principium, observantiam nimirum hodiernam iuris, de cuius medio aevo vigente existentia, si non legibus, id quod modo ob eorum defectum, modo nondum acceptam notitiam interdum fieri nequit, tamen historice ex monumentis, chartis ipsisque scriptoribus coaevis constat, toties praesumendam esse, quoties non ex summa rerum status tam privati quam publici mutatione clarissime apparet, eam esse inapplicabilem, secundum hoc, inquam, principium, praesumendum omnino est, etiam hodiernum matrimonium principis imperii cum nobili et si avita esse disparagium, supra enim observantia huius iuris in medio aevo demonstrata, mutatio autem rerum talis, qualis hoc iuris principium inapplicabile reddere posset, nulla adest, ergo et praesumptio pro eius observantia omnino militet, necesse est.

Sunt quidem omnino, qui iuri, quod medio aevo obtinuit per Germaniam, nullam tribuant vim certe in foris, nisi speciatim eius usus hodiernus doceri possit, iuraque peregrina ideo illi in dubio omnino praeferenda esse statuunt, nisi recentioribus statutis legibusque provincialibus his fuerit derogatum ⁷¹⁾, sed cum his minime facere possumus, iura peregrina in subsidium cum tantum recepta sint, ex eo ipso patet, vi solius receptionis minime fieri potuisse, ut iura tempore receptionis vigentia abrogarentur, sed praeter receptionem hanc subsidiariam alium quendam eventum, nimirum non observantiam, quinimo observantiam in contrarium contingere debuisse ad producendum illum effectum: Non observantia vero et observantia in contrarium legum semel constitutarum non praesumenda, ergo nec sublatio iuris medio aevo obtinentis praesumi potest nec debet, sed potius, qui in ea intentionem suam fundat,

⁷¹⁾ cfr. de Seibow I. c. §. 36 et 68 ibique scriptores excit. plur. —

eam probare tenetur, ideoque etiam is, qui iuris principia, qualia medio aevo de disparagio obtinuerant, iam obsolevisse contendit, huius abolitionis probatione se onerat, nec classicum ante canere potest, quam illa ipsa se exoneravit. Ne vero quis putet, nos eiusmodi latebras causae malae conscios quaerere, ipsi probationem actualis et hodie obtinentis observantiae horum principiorum de matrimonio principis cum nobili avita in nos suscipimus, eumque in finem plura argumenta haud difficilia erunt adducta.

§. X.

d) *Rationes quarum causa principes medio aevo matrimonia inaequalia praefertim fugiebant, et hodie fere adsumt.*

Præcipua ratio fugiendarum eiusmodi nuptiarum de quibus haecenus quaestio fuit, in eo, uti supra (§. VIII) evictum, erat posita, quod vasalli liberos inde præcreatos agnoscere dominos directos detrectarent. Cui principio inhaerentes vasalli etiam noviori aevo saepius contestati sunt, se liberos ex eiusmodi matrimonio natos dominos directos agnoscere nec posse nec teneri, nec unquam se eorum dominio subiecturos esse. Putet forsitan unus alterve, damnum inde hodie domino directo nullum exoriri posse, vasallis enim liberos ex inaequali matrimonio progenitos haud agnoscen-
tibus competere tantum feudi refutandi facultatem, secundum *cap. 40. I. F. A. sup. alleg.*, refutationes vero hodie, ubi subsidium militare a vasallis præstandum nullius fere sit momenti, magis vafallo refutanti quam domino nocere. Sed haec proferens non rite perpendit, refutandi facultatem datam tantum esse illo I. F. A. loco, quando dominus directus territorium illud, cuius singulae partes vasallis in feuda datae sint, ut allodium teneret, non vero ut feudum ab Imperatore et Imperio recognoscendum. Iam vero pauci aderunt principes imperii, qui non allodia avita nexui feudali praefertim ad capeffendos novos honores et maiorem dignitatis gradum subiecerint, ergo et quoad unum omnes maximum damnum perpeti possent ex perfracta denegatione consensus vasallorum in eiusmodi nuptias.

An vero ipsi vasalli in eo, quod se eiusmodi matrimonii op-
 posuerint, prudentiae convenienter egerint, nostrum non est hic disqui-
 rere, sed sufficit probasse, ipsos haud sine effectu recentiori aevo
 eiusmodi matrimonii contradixisse. Qua vero in probatione nobis
 otium omnino fecisse videtur *D. Possé. l. supra iam c. in Deut-*
schen Museum Febr. 1787 p. 164, hic enim, cum in denegatione
 illa vasallorum liberos ex inaequali matrimonio procreatos ad suc-
 cessionem admittendi praecipuam fugiendarum inaequalium nuptial-
 rum causam deprehendisse censeret, plures species refert, ubi con-
 tradictiones vasallorum plenarium effectum sortitae sunt, easque scri-
 ptorum auctoritate confirmat, ad quem itaque lectorem quoad hunc
 passum delegare eo minus dubitavi, quo magis ille libellus facile chi-
 vis ad manus haberi poterit ⁷²⁾.

Huic rationi odii inaequalium matrimoniorum omnino adhuc-
 dum subsistenti plures aliae, quae olim ne quidem aderant, acce-
 dunt, infra vero, quia praesertim ad prudentiae rationes spectant,
 demum referendae, ideoque nos statim convertimus ad ea, quae
 actu proximis dehinc saeculis in hac causa obtinuerint.

§. XI.

⁷²⁾ Speciebus ibi allatis etiam adnumeratur matrimonium *Ferdinandi*
Archid. cum Philip. Welfer filia Patricii Augustani, ne vero quis
 cum Mosero (*Teutsch. St. R. Th. 19. §. 141. p. 334*) opinetur,
 causam cur vasalli ex hoc matrimonio procreatis liberis ius succe-
 dendum concedere haud voluerint, non tam fuisse inaequalitatem con-
 trahentium quam defectum aliorum requisitorum legitimi matrimo-
 nii, opus erit referre verba quae habet *Piccart* in opuscul. *Lud-*
devigii T. 1. p. 1175, diferte contrarium evincencia: „Sic ordines
 „provinciarum *Ferdinandi Archid. Austriae* noluerit liberos ex *Phi-*
 „lippina *Welfera* — — — virgine patricia *Augustae familia* natos
 „succedere. *Nem* ut opinatur *Thuanus*, quod clam patre *Ferdinan-*
 „*dis* illam sibi sociasset, quam quod impar esset matrimonium, et li-
 „beri ex eo suscepti tantae successiois capaces non viderentur. Itaque
 „vix multis precibus ab ordinibus impetrare potuit, ut exiguum ca-
 „stellum — — — ex — — — patrimonio detraheretur, quo *Caro-*
 „lo — — — donavit. *Andreas* alter, ut in collegium Cardinalium
 „cooparetur, a *Gregorio XIII* facile obtinuit. Quod si pro con-
 „ingio legitimo Pontifex non habuisset, factum id sane non fuisset,
 „cum Cardinalitius honor non nisi ex legitimo matrimonio procrea-
 „tibus attribui soleat.

§. XI.

e. Satis argumentorum adfunt, quae id evincunt, principes non consensisse in abrogationem antiquae illius consuetudinis ratione disparagii.

I. Argumentum ex ipsis principum dispositionibus desumptum.

Prius vero, quam ipsam huius argumenti ulteriorem expositionem aggrediar, opus erit lectorem commonefacere, hoc loco minime id agi. ut probetur, adesse observantiam imperii *recentiori demum vero stabilitam*, secundum quam matrimonia eiusmodi, quae inaequalia supra dicta, pro disparagiis habenda sint, nec hanc probationem, in qua omnino deficere metuendum esset, suscipiendi animum unquam fuisse, sed unice de eo, quatenus ius medio aevo iam stabilitum conservatum sit, hic quaestionem esse. Quam vero minus difficile sit, probare conservationem iuris olim iam constituti, quam constitutionem recentis, et quidem ipso usu atque consuetudine introducti, non erit, quod longius moneam. Ad probandum enim ius conservatum, omnino sufficere demonstrasse, illos, quorum factis uniformibus alioquin observantia quaedam stabiliri, aut iura constituta abrogari possint, saepissime contrariam animi voluntatem declarasse, omnibusque viribus id egisse, ne observantia in contrarium introduceretur.

Quod itaque primo loco illud ex ipsis dispositionibus principum desumptum argumentum attinet, penitus aliquantulum illas dispositiones, quibus plures principum se de conservandis iuribus atque splendore familiarum suarum meritissimos reddidere, perlustranti, facile in oculos incurret, quo studio, quo ardore id egerint, ut suos a matrimoniis inaequalibus arcerent: ex quo id certe aperissime elucet, eos nec consensum dedisse, nec unquam dare voluisse in abrogationem consuetudinis illius aevi, secundum quam matrimonia eiusmodi, quae in dispositionibus illis ut pestis familiae illustris delineantur, per se effectus iuridicos ratione successionis et dignitatis paternae non producebant. Liecat in huius rei fidem infra ⁷³⁾ huius generis

E 3

⁷³⁾ Ex testamento Ernesti Ludov. Ducis Saxon. Meinung. de 1721. *„Weilen auch zur Verhütung der Eisanhero leider alzugemein werden, und zu nicht geringer deshonneur, Schande und Prostitution de-*

generis dispositiones quasdam oculis lectorum subicere, ex quibus veritas modo dictorum abunde ni fallor elucebit, plures vero eiusdem tenoris inspicere cupiens, adeat loca infra allegata ⁷⁴).

Iam

rer Alt-Fürstlichen Häuser, und deren von so vielen Seculis her, besonders in dem Chur- und Fürstlichen Hause Sachsen unbestekt erhaltene Fürstlichen Ansehens und Würde gereichenden Mißbeurathen, wir mit einigen Fürstlichen Häusern in eine gewisse Vereinigung zu treten — — — der unumgänglichen Nothdurft erachtet; so — — Befehlen — — demnach bey unserm harten Fluch und väterlichen Unsegen hiemit nachdrücklich —, sich an keine andere als Fürstliche oder wenigstens alte Reichsgräfliche Häuser und Familien zu verheyrathen; Woforne aber einer oder der andere — — sich unterstehen sollte, eine adeliche oder Bürgerliche Person zu heyrathen, so soll nicht allein dessen Decendenz zur Landes-Succession nie gelassen werden, und vor Fürsten keinesweges erkannt, sondern auch seine Ehe hiedurch Kraft dieses pro matrimonio ad morganaticam declariret und eo ipso die daraus erzielte Kinder vor Edelleute geachtet — — — I. I. Moser Teutsch. Staats R. Th. 19. §. 14. p. 45.

Ex testamento Victoris Amadei P. Anh. Bernburg de a 1714. — — — erinnern und recommendiren Wir Ihnen, Unsern geliebten Söhnen, — — — sich zusehrst für ungleichen Heyrathen zu hüten, dadurch ihr uraltes Fürstliches Haus zu vernachtheiligen, vielmehr solchen falls auf Standesmäßige tugendhafte Personen ihr Absehen zu richten — — — cod. §. 31. p. 101.

Ex pacto quodam antiquiori inter comites Württemberg Eberhardos seniores et iuniores 1489 inito. Wer auch, das Graf Eberhard des Ängern ehelich Gemahl vor ihm mit Tod abgieng, würd er sich dann wieder verheyrathen, so soll das geschehen mit einer, die sein Genos ist, ob er sich aber mit einer mindern und niedern Person verheyrathen würd, überkame er denn bey derselben Kind, wenig oder vil, so sollen die an seinem Theil Landes noch an der Herrschaft Württemberg kein Antheil haben — — — cod. §. 47. p. 155.

⁷⁴ I. I. Moser l. c. §. 12 p. 45. §. 46. b. p. 155. §. 53 et 54. p. 201. §. 83. p. 236. Feltmann de impari matrimonio P. 1. c. 11. p. 53. Nec forsan pigebit aliquem, legere hic iudicium *Friedrici II* inter Germaniae principes, dum inter vivos erat, facile primi, cuius quidem sententia de tali matrimonio haec est: „einen solchen Flecken in „einem regierenden Hause können Jahrhunderte kaum verwischen“. Anek. u. Charakt. a. d. Leben, *Friedrich d. II. eilfte Samml.* Berlin 1788. p. 81.

Iam vero ex innumerabilibus aliis iuris privati principum capitibus constat, eiusmodi dispositiones non tam cum in finem fieri solere, ut novum inde ius constituitur, quam potius ad conservanda iura consuetudinesque antiquas contra iuris peregrini aliarumve innovationum fluctus et violentiam ⁷⁵⁾, eademque ergo praesumptio etiam hoc loco pro his dispositionibus capienda.

§. XII.

II. Quoties his matrimonii contradicere interfuit principum, illis obistere non intermiserunt.

Quam assertionem ut omni qua par est industria illustremus, plura sunt invicem distinguenda atque curate animadvertenda.

I. Dantur quidem omnino species, ubi a parte agnatorum contradicere fere nulla certe minime publica eiusmodi matrimonium aut antecesserit aut secuta sit, sed rationes huius omisae contradictionis in aprico sunt. *Vel* enim consensus agnatorum in antecessum requisitus ex causis specialibus haud denegatus est, uti factum deprehendimus in familia Saxonica *Vinariensi*, cum *Wilhelmus D. nobilem* quandam de *Brandenstein* duceret in matrimonium, cuiusque speciei ultteriores circumstantias infra pluribus illustrandas nobis reservamus, *vel* agnatorum plane non interfuit, longas magnasque rixas super initum tale matrimonium excitare, cum scilicet matrimonium ipsum esset improle, ipsa vero proles eiusque successio praesertim ea sint, quae liti rixisque super effectibus civilibus eiusmodi matrimonii principalem causam praebeant, ceteri enim effectus talis matrimonii transeuntes sunt, ita ut haud raro ne operae pretium quidem sit, eorum causa matrimonio alioquin actu inaequali quaestione status movere. Omnia itaque fere matrimonia principum inaequalia, quibus agnati, quantum videre licet, plane non contradicere, quotquot apud scriptores referuntur, si perlustrares, facile erit animadversu, ea fuisse improlia, ideoque nullam sufficientem liti movendae causam interfuisse: quem in finem non possum non nubem eiusmodi

⁷⁵⁾ I. Fr. Eisenbarth oratio de meritis nobilitatis Teutonicae circa iuris patrii conservationem, *Eisdem* progr. de renunciatione nobilitatis subiuncta. Helmst. 1757.

eiusmodi casuum modo dicta mirabiliter confirmantium adduce-
re ⁷⁶). Genuinam huius contradictionis intermissae causam nul-
lam aliam fuisse nisi eam, quod matrimonia prole certe masculina
non fuerint ditata, satis ex eo constare videtur, quod horum ma-
trimoniorum quaedam sint inita cum persona plane ignobili, quor-
sum spectant subtus notatae species ⁷⁷): cum enim tale matrimo-
nium principis nempe cum ignobili generali fere consensu pro actua-
li disparagio habetur, satis certe inde colligi potest, contradictionem
in casibus supra adductis non ea propter cessasse, quod consensui sibi
fuerint principes, ius contradicendi ipsis non competere, sed quod
operae pretium non futurum esse duxerint.

II. Quoties vero huius generis causae nullae adfuerunt, toties
quoque agnatorum omniumque fere de familia contradictio *haud de-
fuit*, saepiusque id effecit, ut matrimonium initis sponsalibus praepa-
ratum plane non contraheretur, aut effectus ratione successionis liber-
ris denegarentur. Plures species huius generis principum Germaniae
historia domestica offert, quarum quasdam hic referre, iisque fidem
comparare dictis, haud erit abs re.

Iam supra (§. VI.) mentionem fecimus matrimonii *Henrici il-
lustris Marchionis Misniae cum Elisabetha de Malitz*, ipsamque ad-
duximus chartam, per cuius verba finalia liberis ex hoc matrimonio
natis diserte ius succedendi ab Imperatore conceditur ⁷⁸), quo tamen
non obstante filius inde genitus *Fridericus* agnatis contradicentibus

⁷⁶) I. I. Moser Teutsch. Staatsr. 19ter Th. §. 11. pag. 45. §. 13. p.
cod. §. 16. p. 83. §. 40. p. 117. §. 42. p. 118. §. 43. p. cod. §.
44. p. cod. §. 46. b. p. 155. §. 50. p. 156. §. 52. p. 200. §. 64.
p. 222. §. 69. p. 224.

⁷⁷) Moser l. c. §. 42. p. 118. §. 50. p. 166. §. 64. p. 222. §. 69.
p. 124.

⁷⁸) „Ex praemissis itaque Friderico et ceteris liberis Marchionis
„praedicti, si quos ipsum in antea ex predicta Elisabetha procreare
„contigerit favorabiliter indulgens — — — ut bonis Mar-
„chionis ipsius possessionibus, terris, dignitatibus et ceteris iuribus
„quibuscunque quo possint et debeant iure succedere, ac si de par-
„tu et ventre libero nati essent.

ad successionem cum reliquis fratribus minime admissus est ⁷⁹⁾. Cui quidem plerumque ⁸⁰⁾ adiungi solet matrimonium *Alberti Degeneris* cum *Cunigunda de Eisenberg*, sed quia filius huius *Cunigundae* iam ante initum matrimonium progenitus, dein vero per subsequens matrimonium tantum legitimus redditus erat, et ratio denegandae successionis eodem iure in hoc nativitate legitima defectu, quam in impari matrimonio parentum poni poterat, melius duximus, hac specie ad confirmandam thesin nostram plane non uti.

Potiori vero iure hic memorandum matrimonium *Ferdinandi A. Duc. Austr.* cum *Philippina Welser*, medio saeculo decimo sexto circiter initum. Hoc enim matrimonium etsi a patre *Ferdinando Imp.* agnosceretur, id tamen ea lege factum esse videtur, ne liberi inde progeniti ad successionem aspirarent ⁸¹⁾, certe hi nunquam successione, contradicentibus illis quorum intererat, potiri poterunt.

Eodem infelici successu *Georgius Aribertus* e familia *Anhaltino-Bernburgensi* circa medium saeculi elapsi uxorem duxit *Elisab. de Krofigk*: agnati enim huic matrimonio maxime infesti eo rem redigerunt, ut speciali transactione res in ipsorum favorem terminaretur, nec huius transactionis dein in Aula Caesarea rescindendae experimentum felici gavisum est exitu ⁸²⁾.

Nec silentio praetereunda videntur sponsalia *Carolum Philippum Palatinum* inter et *Mariam Annam Iosepham Comitissam de Hohenlohe* circa finem saeculi elapsi celebrata, et ob nullam aliam causam irrita reddita, nisi quod avus huius Comitissae fuisset Liber Baro *de Schoenborn*, eiusque uxor nobilis quaedam *de Greiffenclau* ⁸³⁾.

Nec haecenus allatis adiungere dubitarem matrimonium *Gustavi Samuelis Palatini* circa idem fere tempus cum *Luisa Dorothea de Hofmann*

⁷⁹⁾ *Struve* in iurisprud. heroica P. II. p. 87.

⁸⁰⁾ *Struve* l. modo citat. pag. 90. *Poffe* l. supra c. pag. 176.

⁸¹⁾ *Moser* l. c. §. 141. p. 334.

⁸²⁾ *Beckmanns Anhaltische Geschichte* Th. 5. B. 3. T. 6.

⁸³⁾ *Compara* si lubet *Struve* in Corpore iur. publici p. 1185. et *Moser* l. c. §. 20.

mann intum, quod nempe ipsa *Aula Caesarea* annuentē Consilii Imperii Aulici Resolutionibus *illegitimum* declaratum est, si modo haec nobilis *de Hofmann* nobilitate fuisset avita eaque proba: quo tamen non obstante casus sat habendus est notabilis, cum ipsi uxori character comitiſſae ab Imperatore collatus referatur ⁸⁴⁾.

Fuerunt quidem, id quod minime negandam, omnino quaedam species, ubi contradictiones agnatorum non eodem felici exitu sunt coronatae, sed harum specierum ulterior illustratio, cum his ipsis speciebus observantiam in contrarium probari posse ab uno alterove contenditur, ad sectionem posteriorem, ubi nempe resolutio dubiorum scopus noster erit, deleganda esse videtur, ideoque hoc loco, quid de illis indicandum, retinemus.

§. XIII.

f) *Alia quaedam argumenta pro viridi observantia huius consuetudinis.*

Argumentis istis, quibus hactenus assertionem illam de matrimonio principis cum nobili avita ut disparagio firmare annisi sumus, accedunt quaedam alia minime plane negligenda, et quorum prius desumimus ex multitudine illa matrimoniorum inter principes nobilesque avitas ad legem ut aiunt Salicam initorum. Maximum eiusmodi coniunctionum numerum ⁸⁵⁾ si spectes, vix retinere te poteris a cogitando, inter personas, quas inter matrimonia huius generis ita sint frequentia, aequales nuptias celebrari non posse, qua in sententia longe magis confirmaberis, si modo pacta quaedam, qualia horum matrimoniorum causa fieri solent, curatius paullo inspexeris, in illis enim haud raro disertis verbis declaratur, rationem matrimonii eum *nobili* ineundi nullam aliam esse, nisi eam, ut inde impediatur, quominus liberi *principali* frui possint dignitate, uxore ea sibi tribuat iura, quae secundum observantiam familiae uxori *aequali* alioquin haud deneganda sint. Apparet hoc satis clare ex conventionione huius generis a *Landgr. Hass. Rheinsel. Ernesto* cum virgine nobili *Alexan-*

⁸⁴⁾ Moser l. c. p. 91. §. 22.

⁸⁵⁾ Recensum earum invenies apud Moser l. c. in cap. 102. passim.

Alexandrina de Dürnitzel a. 1690 inita, cuiusque verba huc spectantia vide sis subtus ⁸⁶).

Eiusdem tenoris etiam est pactum occasione matrimonii inter *Christianum Carolum D. Holsat. Norburg.* et nobilem quandam de *Eichelberg* celebrati initum, cuiusque introitus verba subtus spectanda habet ⁸⁷).

Quid quod haud sine ratione contendi posse videatur, ipsum matrimonium morganaticum principem inter et personam nobilis conditionis initum, clare id innuere, matrimonium vere aequale inter huiusmodi personas ordinario plane contrahi non posse, etsi enim is ego non sum, qui ad essentiam matrimonii morganatici requiram inaequalitatem conditionis contrahentium ⁸⁸), in nuptiis morganaticis principum tamen res longe aliter constituta est.

F 2

Prin-

86) — — — So hat solcher Fürst — — in ein hohes Bedenken gezogen, daß da er schon — — — so vile — — — Fürstlichen Ehkel von beyder Geschlechts hat, also solches Dero Herrn Söhne und Dero Posterität mit einer Fürstlich oder gräflichen Standesperson Heurath und mit denen darauf gehenden grossen Kosten, und zwar sonderlich eines jährlichen Wittthums von 3000 Rthlr. — — — nach Dero Tod ein jährlichen würde, zu beschweren — — — Als haben sie und darauf geben würde, zu beschweren — — — Als haben sie und zwar noch dem Exempel von mehr Fürstl. und Gräflich Personen lieber ein solch Matrimonium, als mit einer hohen Standesmätlig treffenden Ehe erwählen wollen, und eben deswegen mit einer ehrlichen, Züchtrigen — — — — Jungfer Alexandrina (einer gebornen adelichen Parricin von Straubingen —) sich — — eheligen eingelassen, und versprochen. Moser l. c. p. 115 et 116.

87) — — — wegen die künfriger Unterhaltung Dero Ehegemahls Dero roth. Christ. von Aichelberg mit welcher Sie ohnlängst in Mariage getreten, aus blosser Intention, das Fürstliche Haus Norberg zu conserviren, indem Sie Bedenken getragen Dero wenig Antheil heut oder morgen unter Fürstliche Kinder (ex nobili itaque non progenitur Fürstliche Kinder) zu theilen, und eine Durchbläuchtige Familie glücklich zu machen. — — Moser l. c. p. 119.

Lectorum mente adhucdum haerere peritatum me habeo, ca. quae supra (§. VII. in f.) de *Ortone Landgr. et Domino in Haffia* e sacculo XIV retulimus, qui nempe discrete declarabat, se ideo virginem nobilem in matrimonium ducturum, ne liberi inde nati ad successiones aspirare possint.

88) Cuius sententiae asseclam se sistit *Cocceii D. ad Legem morganat. Sect. V. n. 3.*

Principum liberos nimirum succedere parentibus non virtute iuris a patre demum in ipsos translati, sed, uti aere consueverunt, beneficio et providentia maiorum, inter omnes constat, ita ut ex matrimonio nullo defectu laborante natis indubitatum ius succedendi competat, quo privari facile non possint ullo parentum facto. Matrimonium itaque principis cum nobili si *per se* aequale esset, nulloque defectu laborans, ratio nulla adesset, unde parentes ius sibi tribuere possent, pacto suo liberis ex hoc matrimonio natis aut nascituris spem succedendi adimendi, et eiusmodi pacta talem effectum minime producere valerent, certe ipse *Moserus*, alioquin nostrae assertionis adversarius, validitatem pacti huiusmodi inter personas, quos inter matrimonium aequale iniri possit, minime omni exceptione maiorem habere confidit ⁸⁹⁾. Quotidianus vero usus cum doceat, valida eiusmodi pacta omnino haberi, etiamsi ne confirmatio Caesarea quidem accesserit, eaque magis celebrari maioris securitatis gratia et accidentaliter quaedam curatius determinandi animo, quam eum in finem ut matrimonium alioquin aequale eo demum inaequale reddatur, optimo iure inde colligi potest, principes iis cum personis, quibuscum eiusmodi conventiones inire soleant, matrimonium vere aequale ordinario contrahere non posse.

§. XIV.

Continuatio.

Alterum argumentum hic enumerandum analogicum quidem tantum est, at gravis tamen ponderis.

Observantiae esse inter Illustres, uxorem natiuitatis iure altiori dignitatis et praecedentiae gradu constitutam superque maritum etiam nihilominus conservare durante matrimonio dignitatem innatam titulosque ipsi ante initas nuptias debitos, quotidianus nos docet usus, et cancellariarum praxis ⁹⁰⁾, hac tamen determinatione, ut, maritus persona quoque illustris sit, necesse habeatur, nobili enim inferiori si nupserit foemina illustris, titulo *Madame* se tantum honorari, omnis

⁸⁹⁾ l. c. p. 357.

⁹⁰⁾ *Pütter Anleit. z. Jurist. Praxis. Gött. 1758. 2ter Th. §. 19. n. V. pag. 37.*

sis ceteris honoris titulis v. c. *Durchlaucht, Hoheit* etc. pati eam oportet⁹¹⁾, id quod quam aperte manifestare videtur, matrimonium illustrem inter et nobilem non sine detrimento quodam iniri posse, quod quidem detrimentum in matrimonio principis cum nobili in nullum alium redundare potest, nisi principaliter in ipsos ex tali matrimonio procreatos liberos, conditionem matris a patre nimium dignitate distantis ex prisco usu sequentes⁹²⁾.

§. XV.

II. *Argumenta secundi generis, ex eo nempe, quid conveniat desunta.*

Haecenus iam in eo occupati fuimus, ut probatum daremus, secundum iuris principia matrimonium principis cum nobili etiam avita ordinatio pro veto disparagio omnino esse habendum, id quod an felici an infausito successu factum, de eo iam Lectorum cordatorum iudicium expectandum, ne vero quis sibi persuadeat, principum plane non interesse huius consuetudinis usum fervari, nullasque adesse rationes, quarum gratia iuri suo ita strenue inhaerere operae pretium esset, opus erit, brevi mentionem quoque facere eius, quid conveniat circa eiusmodi matrimonia, ex quo ni fallor, sufficienter apparebit, satis causarum adhucdum adesse, quae inducere valeant principes, iuri suo semel constituto inhaerere, omnibusque viribus pro eius conservatione pugnare, licet forsan non omnes olim obtinentes atque introducendi huius iuris occasionem praebentes rationes hodie adint⁹³⁾.

Primo quidem loco notandum videtur, quod omnino metuendum sit, ne Reges Europaei, qui ad hanc usque diem saepissime sibi coniuges ex principissis imperii nostri Germanici, teste ipsorum stemmate genealogico, eligere haud dedignati sunt, eoque ipso uni al-

F 3

terive

⁹¹⁾ Moser l. c. Th. 20. §. 59.

⁹²⁾ I. St. Pütter *Rechtsfälle* III. Th. III. B. n. 309 et 310.

⁹³⁾ Quod ad huius §. argumentum, nominem legisse pigebit, quae excellentissime pro more asserti I. St. Pütter in den *Rechtsfall* Th. III. B. III. n. 109 et 110 uti et legi omnino meretur Bericht eines Ministri von einem gewissen Fürstl. Hause wegen ungleicher Heyrathen, in *Electis iur. publ.* Th. VIII. p. 352.

terive familiarum Germaniae illustrium haud exiguum splendorem, auctoritatem atque pondus inter reliqua Germanici Imperii membra comparaverunt, ne inquam, hi Reges in posterum ab eiusmodi conjunctionibus abstineant, quando nimirum illis intervenientibus deducantur in periculum, affines atque necessarios sibi associare nobiles, quos ipsi alioquin ad servitia non maxime honorifica, v. c. ea quae praestanda sunt a pueris regiae cohortis (*den Pagen*) adhibere solent, id quod sine dubio opprobrio sibi ducerent, et ab aliis quoque illis probro daretur: ex antiquiori enim aevo licet haud desint exempla Regum virginem nobilem in matrimonium ducentium (quis non recordatur *Henrici VIII. R. Angliae et plurium eius coniugum?*) noviori tamen tempore ab eiusmodi matrimoniis ut ipsi parum dignis abstinere eaque fugere consueverunt, edocti sine dubio, quot inde saepius exoriri soleant incommoda tam ipsi regiae familiae, quam subditis, eaque nos commonefaciunt, ut *secundo* loco hic de *nepotismo* ut aiunt, ut necessario fere consuetario matrimoniorum principis cum nobili etiam avita dicendum esse putemus.

Inter omnes constat, nostrisque diebus altissima voce divulgatum⁹⁴⁾, qualem pestem nimius cognatorum et affinium favor territorii imperii ecclesiasticis, quorum nimirum praesules haud raro ex nobilitate inferiore eliguntur, sepiissime pariat, iam vero facile perspectu est, idem etiam eventurum esse in territoriis saecularibus, quando matrimoniis eiusmodi ut plane aequalibus nobilium familiae principibus regnantibus arctissime coniungerentur. Quem metum minime vanum atque inanem esse, usus sat frequens in iis docet territorii, ubi imperantes e nobilium ordine sibi eligere solent, quibuscum modo illegitimo versentur, et minus honesto. Principis itaque subditorum salutem promovere optantis omnino est, consuetudini illi antiquitus introductae diuque conservatae minime obsistere, sed potius, ut et fieri supra ostendimus, omni diligentia ei succurrere, eamque in viridi observantia sustinere. Nec desunt vestigia in ipsis principum dispositionibus, quibus malum illud, nimiam auctoritatem cognatorum et affinium nempe indignant: sic

⁹⁴⁾ F. C. Freyherr v. Moser über die Regierung der geistlichen Staaten in Teutschland Frank. und Lün, 1787. 3.

in instrumento quodam occasione matrimonii morganatici *Ernesti Landg. Hoff. Rheinf.* cum *Alexandrina de Durnizel* confecto, verba quoad hunc locum maxime notabilia obveniunt sequentia: — — *derer Vater sich als einen streitbaren Kriegsoffizier noch kürzlich in dem Sturm zu Cochheim erzeiget, ausser solchen und dessen Frau und einigem Sohn sonst keinen Anhang hat — 95*). Ut optabile aliquid, hic itaque laudatur, noviter nubendam non esse prolixa cognatorum cohorte stipatam.

Huic ex nimio favore, quo potiri occasione eiusmodi matrimonii soleant cognati atque affines, praesertim quando hi. uti in nobilibus omnino obtinet, iam per se multum auctoritate atque gratia in aulis principum pollent, malo metuendo accedit *tertio loco* quod eiusmodi nuptiae, nepotismo illo nequidem in censum vocato, saepissime consilium privandi principem amore subditorum praebere possint, pro ea enim, qua sunt hominum animi, indole ipsis nil intolerabilius est, quam illorum, quos modo ante aequales sibi duxerant, imperio iam nunc se subiectos videre, praeterquam quod haud raro illae noviter exaltatae ita se gerant, ut adversariorum animus magis excitetur, quam deprimatur *96*).

Filiarum *denique* suarum gratia praesertim principum interfit necesse est, ne scilicet consuetudo illa circa matrimonia huius generis diruatur, dubitandum enim vix est, quin harum perpaucae tantum in matrimonium ducantur a principibus, stabilito nimirum semel principio illo de aequalitate matrimonii principis cum nobili, ipsi enim principes iuvenes matrimonia initari, uxores sibi multo libentius eligent e numerosa cohorte virginum nobilium, animi atque corporis quinimo et fortunae dotibus haud raro maxime fulgentium, quam e filiabus illustrium familiarum per se non admodum frequentium, sacrorum diversitate vero ad valde exiguum saepe numerum restrictarum.

Super-

⁹⁵) *Moser* l. c. Th. 19. p. 116. in med.

⁹⁶) Quadrant nimis saepe in eas, quae habet *Cicero* de amicis. c. XV.
 „Neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.
 „Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commōdis fuerunt
 „morbis: imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique
 „ab iis veteres amicitias, indulgere novis“.

Supereffe adhucdum alias quasdam rationes huc Ipeclantes, non dubitamus, sed modo adducta sufficient ad repellendam invdiam tam a principibus iis, qui summo vigore student, ne matrimoniorum eiusmodi usus invitis iis, quorum interest, invaleat, quam a nobis, qui causam horum principum egimus.

§. XVI.

Matrimonium comitis imperii cum nobili avita disparagium esse negatur.

Statim huius capituli initio, quoad quaestionem de matrimonio illustri cum nobili avita separandos esse duximus comites a principibus: quid iuris sit, quid conveniat circa haec matrimonia intuitu principum de eo iam antecedentibus §. §. uberius disputatum, restat itaque ut et ad comites nostra se convertat oratio, qua vero in re non ita longi erimus, nec esse opus erit.

Quamvis negare equidem non ausim, omnia illa argumenta, quibus id confirmare annisi sumus, matrimonium principis cum nobili secundum principia medii aevi pro disparagio habendum esse, etiam pro vera inaequalitate matrimonii comitis cum nobili militare, cum nimirum ab aliis longe lateque demonstratum et argumentis ad nauseam usque probatum sit, principes atque comites simul cum dynastis eo tempore si non eundem honoris et dignitatis gradum tenuerint, certe ad unam eandemque classem nobilitatem inferiorem ut primariam classem liberorum non nobilium plane fuisse separatam⁹⁷⁾, negare, inquam, quamvis haec minime ausim, usus tamen et observantia novioris aetatis cum his medii aevi principibus ratione matrimo-

⁹⁷⁾ Videbis totam seriem scriptorum apud *Cramerum* de nobilitate avita p. 69. n. h. excitatorum, ut et *Kopp* de insigni differentia inter comites I. R. G. atque nobil. infer.

Nec eius sunt ponderis ut in censum hic veniant, quae habet *Bürgermeister in Graven und Ritterfall Tb. III. S. XIII. p. 441.* de matrimoniis comitum cum personis equestri conditionis, pro parte enim ad noviora demum tempora quadrant, pro parte personae equestri ordinis commiscetur cum dynastis. cfr. pag. 74 sequ. der Einleitung ad *Lünigii thesaur. iur. comit.*

trimonii comitis cum nobili avita parum convenire solet, ideoque potius contendendum videtur, eiusmodi matrimonium ordinario pro disparagio nullo modo esse habendum, in cuius rei fidem tenenda sunt sequentia:

I. Non desunt rationes, quibus intervenientibus facile fieri potuit, ut plures Comitum familiae inducerentur ad agnoscenda eiusmodi matrimonia pro vere aequalibus, in quarum rationum perferuatione iam nunc erimus occupati, ex iisque praesumptio, ni fallor, urgentissima pro veritate assertionis illius de perfecta et plenaria validitate eiusmodi matrimoniorum exorietur.

a) Quam plurima comitum territoria saepius iteratis divisionibus ita sunt debilitata atque diminuta, ut haud raro ditionibus nobilis unius alteriusve praesertim immediati vix possint aequiparari, certe has posteriores minime antecellant, quid itaque mirum, si eiusmodi comitum familiae minime se opposuerint matrimonio cum nobili quadam divitiis forsitan insigniter dotata?

b) Haec comitum territoria praeterea in circulis Franconiae atque Sueviae praediis equestribus immediatis quam maxime intermixta iacent, familiariter itaque tam comitum quam nobilium familias quotidie fere inter se uti, evitari nequit, id quod necessario ansum saepius praebere oportet matrimoniis invicem contrahendis.

c) Accedit huic, id quod supra iam monitum, quod nimirum ex nobilitate avita multarum foundationum ecclesiasticarum earumque summi ponderis v. g. Archiepiscopatus Moguntini praesules eligi soleant, quorum tunc praesulum consanguinitati atque affinitati matrimoniis intervenientibus associari, plures comitum familiae haud sine ratione summo sibi ducere honori, uberosque inde fructus sibi suaeque familiae sperare possunt, praesertim ob eam, qua saepius hi praesules in caussis Imperium concernentibus pollent auctoritate, tam in aula Caesarea, quam in curia Romana, quod idem etiam obtinet quoad plures familias summorum officialium aulae Caesareae, quibuscum matrimonio coniungi magis honori, quam opprobrio sibi duxisse videntur plures comitum familiae.

d) Cessant denique quoad maximam fere partem rationes illae, quibus principes praecipue induci videntur, omnibus viribus pro conservando iure et more antiquo pugnare, in comitibus, filiis enim atque filiabus ipsorum non obstante eiusmodi matrimonio ea sunt salva, quae, modo sacrorum qualitas id indulgeat, maxime appetere et ut summum fere bonum sibi proponere solent, beneficia scilicet in foundationibus ecclesiasticis, ordinibus equestribus etc., ad haec vero numero maiorum nobilium eo, qui ex statutis requiritur, probato admittuntur, nullo habitu respectu, an ex matrimonio plane aequali sint procreati nec ne.

II. Novior aetas tot matrimonia comitum cum nobili avita inita eaque perfecte valida exhibet, ut negari minime posse videatur, convenire omnino observantiae per tria, quinimo quatuor fere iam facula introductae, matrimonium eiusmodi pro perfecte valido, atque quoad effectus civiles aequali haberi. Pertinent huc partim species quaedam, quas exhibet *Burgermeister* ⁹⁸⁾, partim plures aliae quas enarrat *Ludiger de Mansbach* ⁹⁹⁾, quem a contradictionibus minus iustis quoad hunc locum vindicat *Moser* ¹⁰⁰⁾, qui et ipse l. c. eiusmodi matrimonia perfectam validitatem extra omnis dubitationis aleam positam censet.

III. Huic denique assertioni et optime conveniunt, quae in nonnullis dispositionibus comitum ratione matrimonii deprehenduntur disposita, quibus scilicet non tam matrimonia cum nobili soleant prohiberi, quam cum persona *vilis conditionis* aut civici seu rustici ordinis ¹⁾.

Rebus

⁹⁸⁾ *Graven und Rittersall Th. III. Sect. III. p. 441, et 2.*

⁹⁹⁾ D. de matrimonio principis, comitis liberique domini cum virgine nobili inito, *Wezlar 1750. Sect. III. p. 37.*

¹⁰⁰⁾ *Moser l. c. Th. 19. §. 144. p. 338.*

¹⁾ In pacto haereditario *Wirgenstein*. inter alia haec obveniunt: — *Auf den Fall sich einer unsers Namens und Stammes künfriger Zeit in ebliche Pflicht (welches doch ob Gott will nicht geschehen soll) mit einer geringen Standesperson, unserm Geschlecht zu Beschimpf- und Verkleinerung einlassen wird* — — *Moser l. c. §. 76.*
Et

Rebus ita dispositis, opus tantum erit, restrictiones quasdam addere, quibus nempe caveatur, ne ex hac observantia tertio praedictum exoriri possit, de quo sequenti §. disputabitur.

§. XVII.

Continuatio.

Frequentia quidem matrimoniorum a comite cum nobili avita celebratorum, atque omnes effectus civiles producentium eo nos deduxit, ut statueremus ²⁾, ordinario eiusmodi matrimonium pro disparagio minime esse habendum, id tamen ullo modo efficere nec potuit, nec debuit, ut indistincte, nullum inter huius generis personas locum habere posse disparagium, contenderemus. Non enim obstantibus omnibus illis rationibus supra expositis, supersunt nostris omnino diebus plures comitum familiae stemmatis antiquitate, atque possessionum amplitudine insignes, quae virtute specialis observantiae, quinimo pactis omnisque generis dispositionibus eiusmodi matrimonia a se arcere studuerunt, et actu ab ipsis ut ita dicam haud infectos se servarunt, eaque matrimonia, quoties unum alterumve familiae membrum ab illis se abstinere noluit, minime ut perfecte valida agnoverunt. Quarum dispositionum modo dicta omnino confirmantium deprehendere licet nonnullas apud *Moserrum* ³⁾. Exempla vero eiusmodi matrimoniorum ob contradictionem agnatorum, in pactis antecedentibus intentionem suam plerumque fundantium, pro perfecte validis minime habitorum plura a scriptoribus referantur. Sic uxor *Wolfii Ernesti Com. Tsenburgensis*

G 2

nobi-

Et in pacto eiusdem generis *Limburgensis* verba ita sonant: *Sollte sich aber fügen, das einer unter uns — — zu einer Bürgerinn oder Bauerinn sich zu verheirathen gelüsten liesse — — Moser eod. §.*

67. p. 223.

²⁾ Qua in sententia a nostra parte stat vir in causis huius summae auctoritatis. *Sruben in den Rechrlich. Bedenken. T. II. pag. 304.*

§. 3. sequent.

³⁾ l. c. Th. 18. §. 8. e familia comitum *de Reuss*. Th. 13. p. 375. e domo *Waldeckiana*. Th. 19. §. 56. p. 203. e domo *Nassoviensi* eod. §. 66. p. 223. e familia comitum *de Weslerberg*.

nobilis quaedam *de Saalfeld* nunquam potiri debuit dignitate atque titulo mariti ⁴⁾, nec feliciori successu *Wilhelmum Mauritium* Com. *Birnsteinensem* matrimonio sibi iunxisse *Annam Ernestinam de Quernheim* refert *Moserus* ⁵⁾.

Nec est quod metuamus, ne eiusmodi pactis et dispositionibus quaestio status moveatur, circa ius enim antiquitus iam traditum, noviori vero aetate in periculum deductum versantur, ideoque neminis tertii iura quaesita inde laedi possunt: observantiae vero illius in plurimis reliquis comitum familiis stabilitae non ea potest esse vis atque potestas, ut eas etiam familias, quae noviori consuetudini obfistere satius duxerant, in hoc conamine impedire valeat: id quod si altiori probatione forsan opus haberet, ex analogia in pluribus aliis iuris privati Illustrium capitibus probatum dari posset, v. c. in primogenitura, qualis quidem succedendi ordo specialis noviori aevo in plurimis familiis introductus id tamen efficere minime valuit, ut generalis omnino succedendi ordo citra exceptiones haberi possit.

Restat iam, ut ad ea, quae saepius iam contra haecenus expositam assertionem allata sunt, resolvenda dubia nos accingamus, idque sequenti huius sectionis capite, quantum pro viribus licuerit, agere, periculum faciemus.

CAP. II.

DUBIORUM MAXIME NOTABILIUM RESOLUTIO.

§. I.

Dubiorum ipsorum expositio et partitio.

Dubia haecenus assertis opposita duplicis praesertim generis esse videntur. Quaedam enim ea concernunt, quae nos exposuimus in

⁴⁾ Köhlers *Münzbelustigungen* P. p. 167.

⁵⁾ l. c. Th. 19. §. 82. p. 236.

in capitis antecedentis §. §. prioribus de usu antiqui et medii aevi intuitu matrimoniorum inaequalium, quaedam vero eo directa sunt, ut mediante obseruantiae contrariae probatione plane destruatür consuetudo illa, quae medio aevo extitisse haud abnegatur. Ad priorem classē spectant ea, quae modo de exiguo valore et auctoritate legum antiquarum et iuris medii aevi circa hunc locum, modo de contrario usu medii aevi a quibusdam proferuntur, ad posteriorem vero eamque, si quid video, multo notabiliorem et maiorem veritatis speciem prae se ferentem pertinent ea, quae a Mosero loco infra allegando adducuntur exempla matrimoniorum principis cum nobilitate, uti etiam illud, quod forsā ex ipsis imperii legibus defumi passet, dubium.

§. II.

Resolutio dubiorum prioris generis.

Quod itaque primo attinet ad ea, quae inter alios praesertim Moserus ⁶⁾ de exiguo usu atque valore legum antiquarum Germanicarum atque iuris ex medio aevo asservati tum in iure publico et privato Germaniae in genere, tum in specie in loco de matrimoniis inaequalibus profert, haec plane nostram non tangunt expositionem, nos enim illis omnibus non tanquam legibus, quibus nempe inaequalitas matrimonii cuiusdam directo hodie probari posset, sed tantum in locum monumentorum] historicorum usi sumus, quibus manifestemus, quale odium olim fuerit gentibus Germanicae originis erga matrimonia inaequalia, qualiaque matrimonia quovis tempora pro inaequalibus vere talibus sint habita ⁷⁾. Ne opus itaque habemus quidem, speculis illis aliisque eiusdem indolis medii aevi reliquiis cum Celeb. Fischerō ⁸⁾ aliisque publicam tribuere auctoritatem, sed sufficiet, fidem historicam ipsis, praesertim quoties inter se non solum

G 3

con-

⁶⁾ *Teutsch. Staatsr. Th. 2. p. 171. sequ. Th. 19. §. 128.*

⁷⁾ *cf. §. VII. VIII. cap. 1.*

⁸⁾ *Geschichte des teutschen Rechts §. 32. — Eadem Literatur des germanischen Rechts §. 166 et §. 251.*

conveniunt⁹⁾, sed etiam aliis eius temporis testimoniis suffulciuntur, ita ut singularitatis exceptio elidatur¹⁰⁾, denegari nullo modo posse¹¹⁾.

Nec maioris momenti esse videtur illud dubium, quod circa ipsam materiam atque tenorem harum legum atque monumentorum versatur. — „Non probatur illis, *sunt verba adversariorum*¹²⁾, „nisi id, matrimonium liberi cum persona servilis conditionis fuisse „prohibitum, de matrimonio vero liberi cum libera diversi licet ordinis plane in illis nihil disponitur, ideoque nec praesidium assertioni „vestrae illinc desumere potestis.“ Sed quorsum haec? Legibus ex codicibus, uti aiunt, barbarorum de promptis poenas tantum statui in matrimonia cum servili persona, omnino nos ipsi affirmavimus (§. §. IV. et V. cap. 1.), nec praesidium assertioni nostrae ex illis ullum comparandi animus fuit, nisi quatenus de odio harum gentium erga matrimonia cum *non liberis* inde manifesto constat. In monumentis aevi mediæ aevi idem obtinere ac in legibus illis antiquissimis, omnino falsum, etsi enim Constitutiones Imperatorum eius aevi adhucdum ignoremus, quibus nimirum prohibita sint matrimonia liberi cum libera sed uilioris conditionis, colligi tamen inde minime potest, nullas eiusmodi constitutiones adesse, nec unquam adfuisse, quot enim constitutiones Imperatoriae adhucdum latere, quot omnino edaci temporis dente consumptae esse possunt? Nec obstat, quod Constitutio quaedam *Henrici VI. Imp.*¹³⁾ poenali sanctione prohibeat tantum

⁹⁾ Conveniunt vero non tam ideo, quia unum alteri loco fontis est, sed quia singula continent, ea quae tunc temporis iuris communis fuisse videntur.

¹⁰⁾ *Struvii Elementa iur. feudalis* ed. *Helfeld* p. 30. §. 18.

¹¹⁾ *I. Schilter* in praefatione ad *Comment.* in *I. F. Alem. Moser* l. c. Th. 2. p. 183. *Dreyer Sammlung verm. Abh.* T. III. p. 11220 et 21. *G. L. Boehmer* princip. iuris feud. praecog. c. III. §. 30.

¹²⁾ *de Selchow* l. c. §. 311. *G. L. Boehmer* D. de impari matrimonio, et iure liberorum ex eo natorum circa successionem feudalem §. 12. 14.

¹³⁾ *Apud Goldast* *Constitut. Imperial.* T. III. p. 363. „Si liber homo servam superdixerit, utraque proles filius et filia, secundum „matrem

tantum matrimonia liberi cum ancilla, unius enim postio, non est exclusio alterius, quae iuris regula praesertim in iure Germanico, cuius permulta maximi momenti capita legibus expressis haud sunt fundata, observanda ¹⁴⁾).

Quoad cetera vero monumenta, in illis non unice prohiberi matrimonium liberi cum persona servilis conditionis, sed omnino quoque nuptias ingenui in sensu emin. talis eum libera sed inferiori, *des Sempereien mit einer Mittelreien*, nobilis cum non nobili, de eo (§. S. VII et VIII) nimis multa attulimus argumenta, quam ut eadem hic repetere a nobis impetrare possemus.

Nec denique quae de ministerialitate tanquam unico huius odii fonte habet *Mansbach* ¹⁵⁾, constare sibi possunt cum monumentis supra (§. S. VII et VIII) adductis, quae quoad maximam partem generaliter de matrimonio nobilis cum non nobili, summe ingenui cum libera inferiori loquuntur.— Quid quod ex eo ipso parum praesidii assertioni adversariorum de perfecto nempe validitate matrimonii principis cum nobili accederet, cum a macula ministerialitatis, ut ita dicam, perpaucae hodie nobilitate inferiori ornatae familiae immunes iudicari possint ¹⁶⁾.

§. III.

De observantiae contrariae probatione

Aliâ eâque, si quid video, nostrae assertioni primo certe obtutu longe periculosiori via ingressus est *Moserus* ¹⁷⁾. Hic enim, cum

„matrem et non patrem, hoc est ventrem ipsum sequatur. Qui enim libertatem commutavit in servitutem, utramque tam libertatem, quam proprium amisit.

¹⁴⁾ Quam erronee a silentio legum Germanicarum praesertim antiquiorum in hoc l. illo iuris capite ad non observantiam huius iuris conclusio fiat, de eo omnino cfrendus est Illustr. *Fischer* in *Geschichte der Teutschen Erbfolge* p. 85.

¹⁵⁾ *Diff.* supra allegata Sect. 1. et 11. item *de Selchow* l. c. §. 311.

¹⁶⁾ *Strubens Nebenstunden* Th. IV. p. 425. Th. V. p. 259.

¹⁷⁾ l. c. 19. p. 333. §. 141.

cum ipse negare haud audeat, principes ad saeculum decimum sextum usque ad unum fere omnes ab eiusmodi matrimoniis se plane abstulisse, sibi persuasit, noviori tempore, et quidem per novissima tria saecula observantiam contrariam irrepisse, cui sententiae tamen fidem faceret, ad septem praesertim provocat matrimonia principum cum nobili avita inita, eaque a dubiis quibusdam vindicare studet. Nisi itaque hoc observantiae contrariae probandae conamen elidere possemus, omnino male actum esset de nostra haecenus defensione sententia, uti e contrario elisio huius conaminis illam ipsam admodum suffulcire valebit. Penitus ideo singulae illae species, in quibus Moserus se fundat, inspiciendae, quo facto demum apparebit, an actu eam habeant vim atque potestatem, ut contraria observantia illis stabilita iure meritoque contendere possit.

Prima species, ad quam provocat, est matrimonium illud *Wilhelmi III. Ducis Saxoniae Vinarieusis* cum nobili *de Brandenstein* — Sed multa sunt, quae omnino impediunt, quominus hoc matrimonium ad observantiam eam, quam probare studet Moserus, stabilendam ullum usum praestare possit: primo enim, matrimonium hoc, uti referunt Annalistsae ¹⁸⁾, in initum est ex antecedente approbatione Agnatorum Electoralium, et principalium aliorumque cognatorum, uti et ordinum provincialium. Omnibus vero, quorum interest, consentientibus eiusmodi matrimonia valide iniri posse, iam supra concessimus, nec de eo lis obtinet, sed potius de eo, an horum consensu deficiente et non obstante eorum contradictione valere possint et debeant. Huic dein matrimonio singulares intervenisse videntur causae, quae agnatos ad consensum suum non denegandum facile inducere valerent. Plures enim scriptores referunt ¹⁹⁾. *Wilhelmum* hac *Catharina de Brandenstein* vivente adhaerentem

¹⁸⁾ Müller *Sächsische Annalen* ad a. 1463 p. 35. *Teutscher Reichs-Straat* p. 524. ubi verba obveniunt: *Als Wilhelm III. Herzog zu Sachsen Catharinen von Brandenstein beirathen wollte, beschickte er zuvörderst — seinen Bruder, Churfürsten Fridrichen, und alle seine Agenten, und liesse um deren Consens ansuchen.* —

¹⁹⁾ Fabricius in *originibus Saxon.* L. 6, p. 731.

huedum priori uxore *Anna Austriaca* iam familiarissime usam esse, magna itaque verosimilitudine iam praevidere poterant agnati, matrimonium hoc fore improle, cum ex consuetudine illa, quae ante initum matrimonium iam diu obtinuerat, nulla progenita esset proles: quo vero supposito, agnatorum interesse versabatur tantum circa honores ipsi coniugi tribuendos constitutionemque vidualitii, de his vero inter Wilhelmum atque agnatos *transactum esse*, apparet ex dictis apud *Müllerum* ²⁰).

Secunda species, in qua se fundat *Moserus*, matrimonium est *Otonis IV. D. Brunsvicensis* cum *Mechtilde de Campen*, sed nec hoc ad observantiam illam inde deducendam ullo modo valere potest. Parum enim absuit, quin proles ex hoc matrimonio progenita ob ipsam illam nativitatis maculam, plane excluderetur a successione: *mediante tamen transactione* cum fratre *Ernesto Confessore* ²¹) res eo rediit, ut *Otto* fratri huic licet *iuniori maximam partem haereditatis paternae cederet*, ipsi ipsiusque liberis maxime exigua tantum parte reservata, ad quam transactionem *ipsi maximopere notivam* sine dubio metu amittendae totius haereditatis adactus est. Quid quod nihilominus filio, *Otoni* nempe *iuniori*, successuro patri quaestio status ab agnatis moveretur, id quod quidem ob *transactionem antecedentem agnatis maxime lucrosam* felici successu minime fieri poterat ²²).

Tertium

²⁰) I. c. *Nach der Trauung hat gedachter H. in einer Instruction, welche er seinem an dessen Bruder — und seine Söhne, wegen Prästirung ihres Consentes zu Constituirung des Leibgedinges, abgefertigten Gesandten ertheilet, diesem anbefohlen, wofern man Churfürstlicher Seite etwa wegern würde, in den Verwilligungs-Brief die Worte: Die Hochgebohren Fürstin zu setzen, darwieder nichts zu moviren, sondern nur anzufuchen (non itaque iure perfecto poscere) daß alleine: Durhlauchtige Fürstin möchte gesetzt werden.*

²¹) *Struben in den Nebenstunden* Th. V. p. 245.

²²) *Pfessinger Braunsch. Lüneb. Gesch.* Th. II. p. 305.

Tertium denique ad quod appellat *Moserus*, matrimonium est *Ernesti Marchionis*, lineae *Baden-Durlacensis* auctoris, cum *Ursula de Rosenfeld*: sed nec desunt, quae huic matrimonio, quo minus pleno iure inde prima illius observantiae flamina derivari possint, opponi quaeant, ipse enim 1) *Moserus* ²³⁾ refert, plures adesse scriptores, qui origines huius *Ursulae de Rosenfeld* e familia quadam dynastica derivent, 2) vero apud *Struvium* ²⁴⁾ legitur, filium ex hoc matrimonio progenitum non nisi *consensu agnatorum* ad successionein haereditatis paternae pervenisse. Omnes vero species, ubi speciali agnatorum consensu defectus, quo alioquin matrimonium aliquod laboraret, tolleretur, hic plane in censum venire nec posse nec debere, iam supra monitum.

§. IV.

Continuatio.

Ex eadem familia *quartum* a Mosero depromitur matrimonium, refert enim huc coniugium *March. Eduardi Fortunati* lineae *Baden-Badensis* cum *Maria ab Eicken* virgine quadam nobili avita, quo ex matrimonio progenita soboles nostro demum saeculo extincta lineam modo dictam terminavit. Sed quam multa huic speciei obstant, quominus in exemplum trahi, aut observantia in ea fundari possit, sequentia ex ipsis, quae pro parte l. c. reperire licet ²⁵⁾, actis desumpta, facile patefacient:

I) Statim fere post mortem *Eduardi*, qui ipse in instrumento quodam uxorem suam tantum *die edle Marie von Eicken* nominaverat, liberis ipsius quaestio status mota est, iique a successione exclusi, Marchionatus vero superior ex decreto Imperatorio de 1605 cum inferiori coniunctus, iuraque priori inhaerentia in conventibus circuli Suevici quiete exercita sunt a Marchione *Baden-Durlacensi*, Qua ex re manifeste elucet, matrimonium hoc inaequale

²³⁾ l. c. §. 35. p. 112.

²⁴⁾ in *Irspatria heroica* P. II. c. 2. §. 37.

²⁵⁾ Moser l. c. §. 34. p. 102.

quale omnino sufficientem causam esse habitum, liberos ex eo procreatos a successione excludendi.

II) Negari e contrario quidem non potest, legatos *Durlacenses* iam 1613 ipso Imperatoris iussu prohibitos esse a voto et sessione in comitiis tunc celebratis intuitu Marchionatus superioris, quinimo liberos *Eduardi* mediante sententia Consilii Imp. Aul. 1622. admissos esse ad successione[m] paternam, in eaque etiam Transactione Westph. conservatos, ²⁶⁾, sed

III) quo debili modo inde conclusiones ad fundandam observantiam fiant, nemo non intelligit, cum satis apparet, causam prohibendi legatos a voto ratione Marchionatus superioris principalem fuisse eam, ut impediretur, quominus numerus Evangelicorum, a quorum parte linea Baden-Durlacensis iam tunc erat, uti linea Bad. Badensis a parte Catholicorum (res in tota hac causa nunquam omittenda) inde augetur. Ipsa vero illa sententia C. I. A. liberis *Eduardi* ita proficua cladem illam, qua *M. B. Durlacensis Fridericus* familiae *Austriacae* ante omnes fere Germaniae principes bello tricennali infestus, apud *Wimpinam* afficiebatur, evestigio fere sequebatur, ita ut sententia illa pro hac temporum ratione magis ut effectus huius cladis, odii atque supremae potestatis Caesareae, tunc temporis ad summum fere fastigium eveclae, quam ex iustitiae rationibus et dictamine lata consideranda sit ²⁷⁾. Quid quod huic accedat, quod ipsum *Nuncium Pontificis Carafa* et *Elect. Moguntinum* omni studio et labore id egisse, ne liberi hi a successione excluderentur, nec ipse Marchionatus superior e gremio ecclesiae excideret, a scriptoribus referatur ²⁸⁾. Inter arma vero, rationes et persuasiones Nuncii pontificis silere Leges, quis est, qui nesciat? — Pace denique Westphalica haec causa ut plures aliae, mediante nempe transactione, in favorem quidem liberorum *Eduardi*

H 2

termi-

²⁶⁾ Art. IV. §. 27.

²⁷⁾ Id quod etiam indigite videntur verba *Pütter* in *Hauptfaden der Teutsch. Reichs-Gesch.* 1783. p. 444. „Desgleichen ergiengen, izt in allen Angelegenheiten der Häuser Baden Durlach und Hessen Kassel lauter niedrige Reichshofrathskenntnisse.“

²⁸⁾ *Puffendorf de rebus Suecicis* L. 1. §. 38. C. *Carafa* Germ. sacra re. staur. 8. 1639. p. 128.

terminabatur, sed citra discussionem meritorum caussae, illius vero, quod unâ alterave causa interveniente amicabili compositione ex rationibus specialibus obtinuerit, in causis secundum rationes iusti, legis et consuetudinis unice decidendis, rationem habere, iuris principis minime convenit, ideoque nec huius matrimonii in extruenda quadam observantia ulla esse potest vis et potestas.

Transeamus itaque ad *quintam* a Mosero adductam speciem, matrimonium nempe *Iohannis Ludovici Princ. Anhaltino-Dornburgensis* et nobilis cuiusdam a *Zeutsch* a. 1687. celebratum. Nec hoc omni exceptione maius putandum, sed potius, si quid video, *agnatorum contradictiones*, antequam cum fragore in publicum eruerent possent, *interveniente transactione et amicabili compositione a 1689 inita sublatae esse censendae sunt*, certe aliud fere colligi nequit ex instrumento quodam²⁹⁾, quo Imper. *Leopoldus* declarat, liberos ex hoc matrimonio progenitos omnino habendos esse principes atque principissas, in eodemque instrumento mentionem quoque facit *patris cuiusdam inter agnatos initi*, cuius nimirum confirmatio simul fieri videtur. Quid quod plura forsitan sint, quae huic exemplo opponi possent apud *Mosero* sine dubio in *Eius Anhaltischen Staatsrecht* repertiunda, a me vero usu huius libri destituito excitatu haud possibilis: qua in opinione confirmat me matrimonium illud *Georgii Ariberti Principis Anhaltino-Desseviansis* cum nobili de *Krosfigk*, cui nimirum non multo ante nuptias *Iohan. Ludov.* cum nobili de *Zeutsch* celebratas agnati atque ordines provinciales ita pertinaciter se opposuerant, ut liberis inde natis iura successione minime concederentur³⁰⁾.

Sextum

²⁹⁾ Imperatoris Leopoldi Decretum Affecuratorium et Declaratorium wegen Fürsten Johann Ludewigs zu Anhalt Zerbst zu Dornburg mit seiner Gemahlinn Frauen Christina Elisabeth von Zeutsch erzielten Kindern, daß sie für rechtmäßige Fürsten und Fürstinnen des Hauses Anhalt geachtet werden sollen. a. 1699. Lünigs Reichsarchiv Pars Special. Contin. II. n. 4. Supplem. ulter. (pone comitum et dynastiarum iurumenta) p. 92.

³⁰⁾ Beckmanns *Anhalt, Gesch.* Th. 5. B. 3. K. 6.

Sextum exinde matrimonium quod huc numerandum esse censet Moserus, est illud sat praeclarum coniugium Comit. Palat. Iohannis Caroli Gelnhuso-Birkenfeldensis cum filia nobilis cuiusdam de Witzleben. Liberis inde natis quaestio status quidem ab agnatis movebatur, sed sententia Conf. Imp. Aulici definitiva ³¹⁾ ad successionem liberos vocabat, ita ut haec progenies ad hunc usque diem in linea Palatino-Birkenfeldensi floreat. Quam quidem speciem inter omnes haecenus allatas omnino gravissimam et observantiae in ea quodammodo exstruendae aptissimam esse lubenter concederem, idque citra magnum praedudicium facere possem, nisi quaedam tamen ipsi obstantia adessent.

Omissis vero illis, quae ad restringendam gravitatem huius exempli de origine dynastica familiae Witzleborum, ut et de intercessione aliorum principum in hac causa ab aliis affirmantur ³²⁾, ab aliis negantur ³³⁾, animadvertendum potius esse puto ad alia, et quidem praesertim ad clausulam illam Pacis Tassinæ conditae, qua nimirum lineae Birkenfeldensi, ex matrimonio hoc originem ducenti, diserte iura ex pactis familiae domus Palatinae confirmantur, et quantum fieri potest in tuto collocantur ³⁴⁾, quo ipso satis indigitatum esse videtur, metuuisse adhucdum lineam Birkenfeldensem, ne aliquid haereret ex matrimonio illo ³⁵⁾.

Quorum tamen non eam esse potestatem, ut hanc speciem plane omni effectu destituere possint, lubens concedo, sed eam potius ad observantiam illam, quam probari posse sibi persuadet Moserus fundandam, omnino aliquid conferre posse. Aliquantulum vero conferre, et totum constituere, quam longe invicem differunt!

H 3

Ulti-

³¹⁾ v. Electa iuris publici T. VIII. p. 347.

³²⁾ Struvii Elementa iur. feud. ex ed. Helfeld §. 86.

³³⁾ Moser l. c. §. 23. p. 96.

³⁴⁾ I. St. Pütter Reichsgeschichte im Hauptfaden p. 545. ed. 1783.

³⁵⁾ An vero Agnati alias etiam post sententiam illam Imperatoriam protestati sint, uti contenditur in Struvii Element. iur. feud. l. c., in medio relinquendum mihi est, cum argumenta ex actis publicis de eiusmodi protestatione nulla adsint.

Ultimum denique matrimonium, in quo praesidium quaerit Moserus, est illud *Christiani Caroli Ducis Holsatiae Norburgensis et Dorotheae ab Eichelberg*, ex quo quidem nata progenies ad successionem quoque pervenit. Sed huius matrimonii rationes longe aliter se habent, ac prioris, multa certe sunt, quae vim obsevantiae aliqualis in ea fundandae fere plane tollant. Primo enim in pacto quodam *Christiani Caroli* cum fratre *Friderico* inito ipse hoc matrimonium ut morganicum tantum considerare videtur ³⁶⁾, id quod magis praeterea elucet ex eo, quod filii ex matrimonio illo geniti initio tantum nomine nobilium *de Carlstein* sint salutati ³⁷⁾, quo ipso successio omnino renuntiata cenferi poterat.

Nec porro dubium est, quin secundum manifestum huius pacti tenorem, paciscentiumque intentionem, liberi illi actu a successione remoti essent, nisi plures eventus inopinati faciem causae mutassent, certe statim post mortem *Christiani Caroli* filius eius, nobilis nempe *de Carlstein*, tam ab ipsa successione paterna *Norburgensi*, quam a *Plövensi*, quae *Norburgensi* lineae eodem fere tempore delata erat, removebatur, ita ut preces eius pro impetranda hac successione tam in Aula Caesarea, ubi nimirum nullo modo id efficere poterat, ut mentio eius in literis investiturae fieret, quam in Aula Regis Daniae qua senioris familiae, plane nullius essent effectus ³⁸⁾. Postquam vero patruus huius *de Carlstein* ³⁹⁾ *D. Ioachimus Fridericus* a 1722. nulla posteritate mascula relicta, diem obierat supremum, et successio in territorium tam *Plövensi* quam *Norburgensi* in eo erat, ut ad lineam *Rethwicensi* devolveretur, ad *Iohannem Ernestum Ferdinandum*, quem adhuc improlem sine liberis quoque moriturum esse maxima verosimilitudine praevideri poterat, facies rei iam valde multum immutabatur: facile enim erit intellectu, Regis Daniae quam maxi-

³⁶⁾ Verba huc facientia sunt: — — *mit welcher sie obnlangst in Mariage getreten, aus bloßer Intention das Fürstliche Haus Norburg zu conserviren.* Moser l. c. §. 45. p. 119.

³⁷⁾ Moser l. c. p. 123.

³⁸⁾ Moser l. c. p. 130.

³⁹⁾ Ne hic dicenda nimis obscura forsitan sint, addeatur si lubet *Pütteri* tab. geneal. decima octava.

maxime interfuisse, hanc *Holfatiae* partem successionis iure non pervenire ad *Lineam Gottorpiensem*, cum inter omnes causam atque res gestas belli a *Carolo XII.* Daniae illati non plane ignorantes constat, quo odio linea Regia illam *Gottorpiensem* persecuta sit. Iam vero linea *Gottorpiensis* ab illa successione et acquisitione territorii *Plöneris*, *Norburgensis* et *Rethwicensis* nullo alio modo, extincta linea *Rethwicensis*, prohiberi poterat, nisi eo, ut nobili *de Carlstein*, qui quoad natales in proximiori coniunctione cum linea *Rethwicensi* erat, quam linea *Gottorpiensis*, successio aperiretur, id quod *Rex Daniae* quoque ex eo tempore pro virili parte agebat, nobilemque *de Carlstein* hunc in finem ut agnatum et Ducem *Holfatiae* agnoscebat, non tamen, quod minime praetermittendum, sine cessione haud exiguae partis territorii in Regem facienda ^{4°}). Quo tamen non obstante Aula *Caesarea* non decedebat a partibus Ducis *Rethwicensis*, verosimiliter ob favorem sacrorum catholicorum, quibus nempe linea *Rethwicensis* addita erat, sed demum mortuo Duce *Rethwicensi* sententia illa in lucem prodibat, qua iura successionis plenaria vindicabantur nobili *de Carlstein* in praeiudicium *Lineae Gottorpiensis*, quam a novis acquisitionibus prohiberi, aulae *Caesareae* sine dubio ob maximam, qua linea haec cum regno *Sueciae*, domui archiducali ex belli tricennalis temporibus, ut et rerum a *Carolo XII.* in *Silesia* gestarum causa, maxime infesto, utebatur familiaritate, mirifice intererat, ita ut facile sit intellectu, unde emanaverit illa sententia *lineae Gottorpiensis* ita odiosa. Quae sine dubio sufficient ad demonstrandum, hanc ultimam speciem tot singularibus circumstantiis involutam esse, ut in exemplam minime possit trahi.

§. V.

Continuatio.

Ex dictis in §. §. antecedentibus si non plura, ea saltem quam certissime patebunt, causas atque rationes horum matrimoniorum, in quibus *Moserus* se fundat ad stabiliendam observantiam non esse ita comparatas, ut commode illis in hunc finem uti potuerit, nec dubium

^{4°}) Moser I. c. p. 133.

dubium esse, quin longe plura hoc nostrum iudicium confirmantia proferri possent, nisi instrumentorum actorumque desuper confectorum, saepius in publicum plane non prodeuntium, haud raro destitueremur. Quod vero unum alterumve horum matrimoniorum non plane inefficax ad evolvenda inde *prima stamina* observantiae iudicaverimus, non impedit, quo minus optimo iure contendere possumus, ipsam observantiam minime exstructam neque probatam esse:

Primo enim tenendum, deficere in omnibus hic adductis speciebus probationem eius, quod in exstruenda et probanda observantia utramque facit paginam: *cessasse nimirum contradictiones agnatorum opinione necessitatis* ⁴¹⁾: nec refugere hic possumus ad tacite declaratum consensum reliquorum principum ex eo forsitan, quod se non opposuerint successioni ex eiusmodi matrimonio natorum, desumendum, quid enim principum non agnatorum intererat, cum illis inde quod una alterave familia eiusmodi liberos ad successiorem admitteret nullum praedudicium exoriri posset? Praesertim cum praevisu haud esset difficile, ipsorum contradictiones contra unitam vim et consensum Imperatoris et agnatorum, quorum causa proprie agebatur, plane inefficaces esse futuras.

Dein vero, quam parum habiles sint sententiae Conf. Imp. Aul. in causis huius generis latae, ad exstruendam super illis praxin imperii iudicalem genuinam, nemo non videbit, modo animadvertere voluerit, 1) ipsam aulam Caesaream quodammodo variasse circa hanc quaestionem, supra enim tam in causa *Eduardi Fortunati*, quam in causa *Holsato-Norburgensi* manifestatum, post longas demum ambages atque circuitus aulam Caesaream ad eorum partes transiisse, qui matrimonia eiusmodi pro plane perfectis declarari peterent, quid quod dubium non sit, quin sententiae eiusdem tenoris etiam in causis matrimoniorum alioquin generaliter fere pro veris disparagiis agnitorum latae adsint, ita ut illis ipsis nimium probari posset, ideoque revera nihil: 2) sententias has Conf. Imp. Aul.

⁴¹⁾ *Pfisteri* institut. iur. publ. Germ. ed. III. §. 45. A. I. Schnaubert *Beyträge zum Teursehen Staats- und Kirchenrecht Gießen 1782. 8. P. 79. §. 8.*

Aul. magis fere ut Conclufa Ipfius Imperatoris, eorumque qui Ipfii a confiliis intimis tunc temporis fuerint, considerandas effe, quam unice ex *iuris* rationibus dictatas, votum enim ad Imperatorem de eo decerni fuit folitum in C. I. A. ⁴²⁾, id quod quidem nullum alium finem habuiffe, nifi eum, ut fententia fecundum ea principia, quae Imperatori, Domuique Archiducali maxime convenientia viderentur, conciperetur, facile eft ad animadvertendum. Iam vero patet, aulae Caefareae faepius pluribus ex rationibus quam maxime intereffe, ut liberi ex eiusmodi matrimonio nati ad fucceffionem perveniant, modo nimirum ex favore religionis catholicae, modo ut impediatur exftinctio unius, et inde metuenda amplificatio alterius lineae principalis, et quae huius generis ex *rationibus Status* defumenda, funt plura: in quo ipfo fine dubio etiam ratio ponenda eft, quare omnes cauffas huius generis ad Conf. Imp. Aul., nunquam fere autem ad Camer. Imperii, ubi nimirum vota ad Imperatorem fuperque iis exstructae fententiae ceffant, perferant hi, quibus ex eiusmodi defectu matrimonii quaefitio ftatus movetur.

§. VI.

Dubii ex capitulatione Caefarea defumpti refutatio.

Capitulationi Caroli VII ⁴³⁾ inferta effe verba quaedam, quibus Electores id egerint, ne ex matrimoniis inaequalibus nimis detrimenti

⁴²⁾ v. c. in cauffa *Norburgenfi* — Moser I. c. p. 153. „Die Sache kame hierauf den 6ten Nov. 1729. bey dem Reichsbofrath in Relation und den 28sten Eisdm. würde darüber ein votum ad Imperatorem erkannt. Item Moser I. c. p. 164. cfr. quoque maxime notabilia, quae de hac ve obveniunt im *Patriotifchen Archiv für Deutfchl.*

³ B. 1785 p. 258 und 9.

⁴³⁾ Art. 22. §. 4. Noch auch denen aus unftreitig notorifcher Mißheyrath erzeugten Kindern eines Standes des Reichs, oder aus folchen Haufe entproffenen Herrn (quo ipfo notio illa, quam fupra conftituimus de vero illuftri, defenditur) zu Verkleinerung des Haufes die väterliche Titul Ehren und Würden beylegen, viel weniger diefelben zum Nachtheil deren wahren Erbfolger und ohne deren befondere Einwilligung für ebenbürtig und Succelfionsfähig erklären. — —

trimenti capiant principum familiae, inter omnes constat, quibus vero ex verbis cum forsitan aliquis dubium aliquod contra nostram haecenus defensionem sententiam desumere posset, ut huic occurramus, opus erit.


Quid nimirum si verbis hisce inhaerens quis ita contra nos argumentari insisteret: „Mentio hoc loco tantum fit matrimonii „manifeste pro disparagio habendi (*der unsvreitig natorischen Mifs- „heirath*), iam vero matrimonium principis cum nobili avita di- „sparagium manifeste tale minime est, quia alioquin nullum principis „matrimonium adesset, de quo praedicari posset, non manifeste con- „stare, an pro disparagio habendum sit nec ne, quale tamen secundum „verba allegata capitul. adsit necesse est. Matrimonium principis ve- „ro cum nobili avita si non est disparagium manifeste tale, nec ea, „quae hoc loco disponuntur, valere possunt circa matrimonium „principis cum nobili avita, sed tale matrimonium potius omnino „plane perfectum habendum.

Sed, his quae opponamus non desunt: *Primo* enim etiam eo casu, si matrimonium principis cum nobili avita pro disparagio haberetur manifeste tali, dari omnino potest matrimonium principis, de quo manifeste non constet, an pro disparagio habendum sit nec ne, matrimonium eius nimirum, cum nobili Landstassicae origines forsitan a familia olim dynastica ducente. Nil absconditi itaque per se involvit, sub disparagio manifeste tali etiam matrimonium principis cum nobili avita comprehendere. Indubitatis certe argumentis minime probari potest intelligenda haec verba tantum esse de matrimonio principis cum persona civici ordinis aut nobilitatis codicillaris. Concedamus *denique* matrimoniis, de quibus l. c. capitul. mentio fit, non annumerandum esse matrimonium principis cum nobili avita, quid inde? Omnia quae conclusionem ex eo forsitan elici possint eo redeunt, *Electores non considerasse eiusmodi matrimonia ut manifesta disparagia*, in quo ipso quidem minime errabant, cum saepius dubia circa tale matrimonium essent excitata, quae omnino impedire Electores debebant, quominus eiusmodi matrimonium pro disparagio manifeste tali haberent. Hoc vero non obstante *verum* dispa-

disparagium omnino esse potest tale matrimonium, quatenus nimirum ex aliis disquisitionibus, quas instituerunt Electores illa sua declaratione prohibere nec potuerunt, nec voluerunt, apparet, dubia illa nullius esse momenti. Quod autem obiciat, rebus ita dispositis ea, quae in capit. l. c. disponantur, valere non posse circa matrimonium principis cum nobili avita, cum verba capitulationis ad illud non pertineant, parum ponderis habet, nec nostram assertionem de incapacitate nimirum ex eiusmodi matrimonio natorum ad successionem citra agnatorum consensum adspirandi perstringit: huius enim assertionis fundamentum nullo modo a nobis in hoc capitul. Caesareae loco est positum, sed eam potius ut antiquitus traditam atque ad nostra usque tempora conservatam sistere studuimus, cuius itaque sic firmiter exstructum fundamentum minime eo potest erui, quod in loco quodam cap., ubi de disparagio manifeste tali unum alterumve disponitur, eius nulla sit mentio facta. Quid quod ex ipsa quadam declaratione Electorum appareat, eos minime id voluisse, ut matrimonium cum nobili avita plane ex notione disparagii excluderetur, a. enim 1745 proponebatur, post verbum: *Misshaurath*, addere ⁴⁴⁾, *nemlich mit Personen welche nicht wenigstens 4 adeliche Ahnen aufzuweisen haben*, sed oculis diiudicari potest, in ipsa capitulatione omissa esse haec verba.

Ex iure Romano et Codicis Sacro denique desumpta dubia nostro aevo et hodierno iurisprudentiae statu nimis indigna videntur, quam quod ad ea regetere quaedam, operae pretium ducere possim.

⁴⁴⁾ *Beylagen und Anmerkungen zu Franz I Woblcapitulation, Herausgegeben von I. I. Moser iter Th. p. 327.*



[The text on this page is extremely faint and illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. It appears to be a dense block of text, possibly a list or a detailed account.]



VD
18

ULB Halle 3
005 372 003



